

1789.

1. Gmelin, Christianus: *De parte de non alienando.*
2. Kappff, Iohannes Jacobus: *De fundamento communioris bonorum conjugalis Germanice*
3. Pfeiderer, Christoph Frideric: *Thesaurus inaug. pars mathematisico-physica.*

1791.

1. Major, Iohannes Christianus: *De regimine territoriali et que habita ad iura quae sunt subditorum*
2. Schmid, Carol. Frider. Gall: *De fere principiis et a subditis curven Forum australi*

1792

1. Kappff, Iohannes Jacobus: *De effectu divorcei quoad bona speciatione secundum ius Wislem Logicum*
2. Kappff, Iohannes Jacobus: *Quis sit is, qui in conventione ambigua clavis logici debetur.*
3. Pfeiderer, Christoph Frideric: *Thesaurus inaug. pars mathematisico-physica.*

1795-

1. Gmelin, Christianus : De Transactio*nis* natione causa*e*s  
i*nter* incundis modis ex iuri*s* Romani*s* principiis

1796.

1. Gmelin, Christianus : De indebet bonorum possessio*nis*  
contra fab*ri* iuris doctrinam iuri*s* Romani.
2. Gmelin, Christianus : De prae*scriptio*n*e* actionis pignoratik*e*

1797.

1. Rappff, Sintus Taub*er* : De jure protomis*co*s Germanico*s*.
2. Pfeiderer, Christopherus Fridericus : S<sup>t</sup>rolia in librum  
secundum iurum clementorum Euclidis.
3. Steeb, Elias Garperi : De quantitate danni caus*ati*  
i*n* rebus locatis dati, modo*s* remittend*e* locum  
faciente.

1798.

1. Major, James Christianus : De relatione iuri*s* et*statu*  
Romani*s* et iuri*naturae* secundum 1.6 T. I. iustitia*et* iure

1798

2. Malbanc, Iohannes Fridericus: De remedio nullitatis. Commentatio ad Ord. Pue. Sec. Elect. h. f. 38 Thuntr.
3. Malbanc, Iohannes Fridericus: De causis improbatissimis pactis hereditariorum ex iure Romano.
4. Pflidderer, Christophorus Fridericus: Scholia in librum secundum Iam elementorum Euclidis II.

1799.

1. Gmelin Christianus Gottlieb: De jure separacionis, quo ex cunctis super bonis emitoris concurred venditori in re vendita competit.
2. Gmelin, Christianus Theophilus: De supplicio capitali et poenio inseparabilibus & ciuitatum foris protinus bendis.
3. Pflidderer, Christophorus Fridericus: Scholia in librum secundum elementorum Euclidis

1800

1. Gmelin, Christianus. Fructuum perceptio modis adquirendi dominii vindicata seu patius restituenda

1800

2. Pflüdner, Christophorus Triderius: Scholia  
in Librum sextum Elementorum Euclidis





DISSERTATIO SCHOLARIS JURIDICA  
PRO PACTO DE NON INVENANDO

PRIMUS DEFENSARIUS ET CONFERENTIUS  
SERENISSIMO DUCI

DOMINI

CAROLI

ET ILLI

ACCEPTEBANTUR A CLEMENTE ILLUSTRE JCTORVM ORDINE

PRAESIDE

PIETATE ILLUSTRI ET CONSPLTISSIMO


CHRISTIANO GMELIN

PRO FABRICE ET ILLIS VITIS PUBLICIS: DEDIV. SEREGESS. DIOCIS CONSUL.  
PRO FABRICE ET ILLIS VITIS PUBLICIS: DEDIV. SEREGESS. DIOCIS CONSUL.

ET IN LIBRARIA

ANNO MDCCLXIX. EDCCCLXIX.

TIFFANY & CO.



18

PA

RE

P. J. 6.

PHIL,

617

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**PRÆSCRIPTIONE**  
**ACTIONIS PIGNERATITIÆ**

QUAM  
CONSENTIENTE ILLUSTRI JCTORUM ORDINE

PRÆSIDE  
VIRO ILLUSTRI ET CONSULTISSIMO  
DOMINO

**CHRISTIANO GMELIN**

PHIL. ET U. J. D. AC PROF. PUBL. ORDIN.  
SERENISS. DUCIS CONSIL. NEC NON SER. MARGGRAV.  
BRANDENB. AB AULÆ CONS.

PRO GRADU DOCTORIS RITE OBTINENDO  
EXAMINI PUBLICO SUBJICIT  
AUCTOR

**JOH. MARCUS SAM. ISAAC MOUSSON**  
HELVETO - MORGNIENSIS.

TUBINGÆ  
DIE AUG. MDCLXXXVI.

TYPIS FUESIANIS.

DISSESTITATIO INNUNGRATIUS HINIOIOA

PRESCRIPITIONE  
ACTIONIS MUNERARIAE

CONSENTIENS HERBARIUS TIGORUM SCOPIC

PRÆCIPUE

OMNIBUS COVIVITATIBUS CIVIS

SCONIO

CHRISTIANO GERMANNI

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

1711. 10. 10. 1711. 10. 10. 1711. 10. 10.

---

## PROOEMIUM.

---

**D**e Pigneratitiae Actionis Præscriptione differendi propositum fuit. Ponderosa quæstio certe, & digna, quæ e radicibus suis excutiatur, at eadem tricis involuta, insignique famosa doctorum dissensu, quamvis pluribus jamjam agitata disputacionibus, & a doctissimis viris ad umbilicum deducta, adhuc obscura manet, inquirentesque malam in crucem agit. Et de ea quidem hucusque incerto Marte pugnatum est; Ex utraque parte, pari numero, paribus armis, pari denique virtute instructi, præliatores incedunt. Quæ quum ita sint, vereor ne nimis audax, neve fatuus videar, qui, ne togatus quidem togatissimorum ordini me immiscere ausim, qui ne in numerum relatus quidem, tantarum litium defensorem me proponam, qui tam ingentibus undis guttam adhuc addere velim. Et quidem, intricatæ quæstionis pondus nequaquam mehercule suscipere ausus essem, si ingenio opus fuisset, meaque sententia ferenda; nunc vero non ingenio, sed memoria ac recordatione est opus, ut quæ a præstantissimis Viris, & ex cogitata subtiliter & scripta graviter accepi, dum singuli diversas vel easdem sed probabiles causas afferrent, iisdem nunc numeris, iisdem rationibus persequar, servato ordine disputationis. Quorundam Vigiliis & Investigationibus, non nullorumque ipsis erroribus stratam incessi viam, & eveniet

forsan, ut quæ peccaverint alii, utilitati vertam. Non nova dicturus, sed tamen novo dicere cupiens modo, talem in scribendo rationem adhibui, ut exegesi Duce, & usurpatis, quantum in viribus erat, ipsarum legum verbis, quasi cum materia mea luderem, & nonnisi per longos anfractus, callesque dubios secutus laborum metam attingerem. Sane, multis videror, non pigneratitiae præscriptionem, sed pignoratitiam ipsam exposuisse, quum tamen semper pignoratitiae præscriptionem præ oculis haberem, semperque quæstionibus, quæ de ea oriebantur, enodandis, incumbarem. Sed talis erat ipsarum rerum natura, ut hæc nonnisi ab illa lumen accipere posset, hicque unicus mihi supereffet modus, ambages expediendi, quibus Interpretes, genuinæ verborum significationi minus accurate inservientes, multa quidem confudisse, nonnullaque forsan hac in Juris particula perturbasse mihi videntur, & hoc ipsum animum auxit. Sed hæc omnia quamvis longe secus fuissent, nequaquam tamen ad alia animum deflexissem, quum Vir quidam eximus, & qui duos annos mihi Parens, in æternum Parentis instar diligendus venerandusque erit, suscipiendo hujus argumenti mihi quondam Auctor fuerit, contra obsequium certe, pietatemque fecisset, si ignavia ipsa, me, æstimatione minorem, amicitiaque ejus indignum esse confessus, signum, quod prætenderat, non accepisset, intentatumque deseruisse opus. En viribus usus! clamavi, & conatui sua laus! his B. L. te monitum volui; Libellus ipse, quamvis peritorum Judicio damnandus obsequii & voluntatis professione certe laudatus erit.

**Q**uibus rationibus Romanorum legum latores moti, acquisitionem Dominii per continuationem Possessionis introduxerint, exhibent nobis verba *Gajī* l. 1. ff. de Usurp. & Usuc. „*Bono publico introducta est Usuca;io, ne scilicet quarundam rerum diu & fere semper incerta Dominia essent, cum sufficeret Dominis ad acquirendas res suas, statuti temporis spatium.*“ Rese-  
candæ scilicet erant lites, quæ innumeræ ex Dominiorum incertitudine oriebantur, puniendaque ipsorum Dominorum desidia; At vero quis non videt, ea, quæ de rebus ipsis scripsérat Jurisconsultus, ad Jura, obligationes, actionesque recte protrahi, prout in iis eadem vitanda erat incertitudo, eadem averruncandæ lites, eadem desidia punienda, & ni fallor, sic profecto se res habuit.

Quum Lex, seu ipsum Jus civile, (Prætorii enim alia prorsus erat ratio) a), nullo temporis lapsu auctoritate sua destitueretur, consecutaneum erat, civiles actiones, illas scilicet,

quæ

- a) Prætoris quum annum esset Imperium. ejusque Edictum non ultra tempus Imperii vim suam extenderet, consequens erat, ut omnes actiones Prætoriæ anno extinguerentur; postea tamen & hæ factæ sunt pro parte perpetuae; ex poenalibus scilicet nonnullæ uti testatur princ. Inst. de perpet. & tempor. action. l. ult. § ult. ff. nauteæ, Caupones &c. l. 18. ff. Depositi. l. 13. ff. de Serv. corrupto. l. 5. § 5. de his qui effud. v. dej. Aliæ vero variis temporalibus Præscriptionibus subjici cæperunt, uti anni utilis, actiones recissoræ l. 35. ff. de oblig. & act. Biennii, Actio Doli l. fin. Cod. de Dolo malo. Quadriennii restitutions in Integrum l. ult. Cod. de tempor. in integr. refit. &c.

A 3

quæ ex legibus, Senatusconsultis, Principumque constitutio-  
nibus oriebantur, nulla temporis effluxi exceptione elidendas,  
vim suam in perpetuum retinere; Princ. Inst. de perpet. & tem-  
por. Action. quod Jus ad tempora usque Constantini magni  
civitate donatum obtinuit, ut perspicue ostendit Jacobus Go-  
thofredus, ad Cod. Theodos. lib. IV. Tit. XIII. leg. 2. Sed  
quum ex hac Actionum perpetuitate, innumera exorirentur  
incommoda, ut litibus tandem aliquis esset finis, aliquando-  
que Possessores Debitoresque securi forent, sacris constitutio-  
nibus, dicto Principi, tam in Rem quam in Personam actioni-  
bus, certum tempus definitum fuit, quo elapsò, jure suo ca-  
deret actor, qui natas actiones exercere omisisset; idque præ-  
cipue perillustri illa constitutione l. unica Cod. Theodos. de act.  
certo temp. finiend. effectum fuit, quæ a Justiniano in Codicem  
suum, sub titulo Præscriptionis triginta vel quadraginta an-  
norum, tertia ordine relata, Theodosium juniores, Honorium-  
que Imperatores auctores sibi vindicat.

Neque vero me fugit, virum omni laude majorem, di-  
gnumque fere, qui omnibus præponatur Interpretibus, Jaco-  
bum Cujacium, Valentianiani novellæ cujusdam auctoritate fre-  
tum, jus ipsum tricennariæ præscriptionis, Theodosio magno,  
non vero juniori tribuisse, pedibusque hanc in sententiam ivisse  
Dionysium Gothofredum in Commentariis ad Codicem Ju-  
stinianum, ad rubricam Titul. 39. lib. VII. At quum istius  
constitutionis Theodosii magni nulla prorsus remanerint vesti-  
gia, neque satis appareat rationis, cur cum Cujacio sacram  
vio-

669 + 670

violantes litteram, ad Inscriptionem memoratae Constitutionis, Theodosii & Honorii loco, Theodosium & Arcadium reponamus, tutius certe erit huic stare opinioni, pro qua & textus ipse & fere unanimis Jurisconsultorum acclamatio faciunt.

Hæc autem Constitutio quoscumque habuerit Auctores, adeo memoratu dignos enixa est effectus, ut eam nonnulli scriptores *humani generis Patronæ* nomine salutare haud dubitaverint b). Ex illo enim tempore, ipsisque Verbis legis jam publici Juris factæ præcipientibus, actiones omnes ex Jure Civili descendentes, sive universales, sive speciales; sive reales, sive personales, sive mixtæ, id est sive Domino, Creditore competentes, & ex meritis Romani Juris Principiis, sive in bona fide possidentes dirigidæ, sive in malæ fidei detentores, Prædonesque, hujus tricennii Præscriptione tolluntur c), ita

ut

b) Cujacius ad titulum Cod. de præscriptione 30 v. 40 annor. *Dionysius Gothofredus* ad Rubricam ejusdem tituli.

c) Qum in lege 3. non reperiatur Clausula, quæ adjicitur legi 2. Cod. de quadriennii præscriptione, licet nominatim præsentis sanctione non fuerint comprehensa, effectum est poitea, ut, mediante Interpretatione sive fortuita sive ex cogitatâ, factisque dictæ legi 3 multis Exceptionibus, limitationibusque, quamplurimas actiones temporalium præscriptionum laqueos evaserint; cui malo, medelam attulit, Anastasiana Constitutio l. 4. Cod. de præscr. 30 v. 40 annor. intra tempus quadragenariæ præscriptionis omnes actiones includens, quæ triginta non expirabant annis. Deinde Justinianus, laudatæ constitutionis tertiae finibus latius productis l. x. Cod. de Annali Exceptione, omnes omnino voluit actiones tempore non definitis triginta annorum lapsu deprimi „*Exceptis tamen omnibus actionibus, licet personales sint, quae in judicium deducuntur sunt, & cognitionalia accepterunt certamini*“

ut hodie dicere possis, nullas nos perpetuas actiones habere, nisi fortassis, improppio loquendi modo, perpetuum dicere velis tempus, quod perpetuo tempori omnibus in locis, ubi nullam obstat temporis præscriptionem legimus, surrogandum est. Sic enim exempli gratia, & ut e multis unum affe-ram, interpretanda est. l. 8. Cod. ne de statu defunctor. &c.

His generaliter præmissis, lubet paulo proprius, hujus præscriptionis naturam attingere, & primum quidem tenendum est, huic, sicut & alii cuicunque præscriptioni hanc inesse virtutem, ut obligationem non quidem ipso jure perimat, quod existimarunt nonnulli, sed saltem ope exceptionis, inanem ef-ficiendo auctoris intentionem, remque eo reducendo, ut obligatiōni ita præscriptæ regulariter neque pignus neque fidejus-for accedere possit l. si quis 37. ff. de fidejussor. & mandat. Dico regulariter, quum nonnulli dentur casus, quibus, posthabita me-ri ratione civili, revera vero manente obligationis æquitate, responsum fuerit, inani quamvis redditu actione principali, pignoris adhuc persecutionem durare, de quibus vide Voët. ad Pand. Tit. de Pignor. & hyp. n. 19. Noodt. pag. 232. Col. 2. Tit. de pignor. act.

Diversam amplexi fuerunt opinionem equidem multi do-  
tores, nec parvi ponderis. Lauterbach ad Pand. Tit. de diversis  
temp.

---

tamina, Et postea silentie traditae sunt; in quibus non triginta  
sed quadragesinta annos exspectandos, ex quo novissimum litigato-  
res latuerunt, lex ab eo, antea promulgata (fin. Cod. de pr. 30  
v. 40 annor.) præceperat,,

temp. Praefor. §. 19. *Bathovijs ad Treutler.* V. 2. D. 20. Thes. fin. lit. B. *Carpzovius J. F.* p. 1. C. 25. Def. 1, num. 5. *Wasquez* 1, 2. Contrar. c. 53. *Grass, Harpprecht &c.* scripsiteruntque actionem ipso jure perimi; sed non tanta erit reverentia, ut morem gerere volentes, a vero recedamus; quod autem vera sit nostra opinio, his probatur argumentis; In l. obligationum 44. §. 1. ff. de obligat. & action. dicitur tempus non esse modum actionem obligationemque tollendi; Dissidentium opinioni repugnat ipse veterum Jurisconsultorum loquendi usus, a quibus voces præscriptio & exceptio promiscue usurpatæ, diversam suisse ipsarum rerum naturam nos conjicere non sinunt. Præscriptionis enim verbo ipsam denotari exceptionem, evincunt tum innumera legum nostrarum testimonia l. qui agnitis II. l. Paulus pen. ff. de exceptionibus. l. si quis pen. l. præscriptions. ult. Cod. eodem. l. judicatæ. pen. ff. de exceptio. rei judic. l. quoties 2. Cod. de Precib. Imp. offerendis &c. in quibus versatissimæ occurunt voces, præscriptio rei judicatæ, præscriptio fori, non competentijs scilicet, dilatoria, in factum, moratoria, peremptoria &c. tum ipsi Digestorum & Codicis tituli, quibus rubrica inest, de exceptionibus seu præscriptionibus; sive rubricam species, quum illam particulam seu similitudinis characteristicam esse lippis omnibus notum & tonsoribus sit, seu ipsorum titulorum argumentum, quum iis in tanta serie legum, præter exceptionum doctrinam earumque species, ne quidquam propositum reperiatur. Id evincit etiam sedes Tituli Digestorum de diversis temporalibus præscriptionibus, quem inter varios exceptionum tractatus, a compilatoribus collo-

B

ca-

tatum legimus, ut illum his quoque referendum esse ne minime quidem nos lateret. Adeundus est etiam *Quintilianus* Inst. Or. lib. 7. Cap. 6. Age! & haec omnia quamvis prorsus deficerent, ne quidem dissentientium opinionem amplexuri essemus, quum victoriae palmam nobis ipse praetendat disertissimus Textus in l. 8. §. 1. Cod. de Praescr. 30. v. 40. ann. quem quemadmodum supra memorati viri flocci pendere potuerint, nullus intelligo. Ne dicam praeterea l. sed si unius 17. §. 6. ff. de injuriis, unde praecipuum dissentientium defumptum fuit argumentum, debilissimo vallo eorum opinionem tueri, quum in odium actionum meram vindictam spirantium, multa introducta fuerint, quae praecceptis juris generalibus minus accommodata, particulare quid redolere videantur, & praeterea satis commode tentari possit afferere, exæquationem cuius in fine dicti § dictæ legis mentio fit, quæque his verbis, *non minus quam* exprimitur, in eo consistere, quod utroque casu extinguitur actio, non vero, quod eodem modo utroque casu. Haec paulo latius stabienda putavi, quum & ipsius argumenti pondus id poscere videretur, nonnullasque hujus doctrinæ sequelas infra adducendas fore, subodaratus fuerim; nunc vero a diverticulo ad rem ipsam redeamus.

Hujus præscriptionis requisita quod attinet, in promptu est sufficere lapsum triginta annorum de momento ad momentum computandorum, arg. l. in usucaptionibus 6. juncta leg. ideoque 7. ff. de oblig. & action. intra quem auctor actionem sibi natam instituere neglexerit, nulla admissa probatione, neque com-

competentis actionis, neque injustæ denegationis alterius; imo si mentem meri juris civilis sequaris, neque habita inquisitio-  
ne, an in bona, malave fide sit reus, qui se præscriptione  
liberatum contendit: id enim satis innuant hæc in l. 3. Cod.  
de præscr. 30. v. 40. ann. occurrentia verba, *vel persona qual-  
cumque actione vel persecutione pulsetur*; nec non textus l. 3.  
Cod. de annali exceptione, in fine, ubi hæc præscriptio *odiosæ  
exceptionis* nomine venit; maxime vero Novel. IX. in medio, ubi  
Justinianus, concessio Ecclesiæ Romanæ, centum annorum præ-  
scriptionis privilegio, rationemque reddens cur hanc tricenna-  
riæ hucusque usurpatae substituerit, *ne inquis hominibus*, ait,  
*impium remaneat præsidium, & tutus peccandi locus etiam scien-  
tibus relinquatur: sed ille servetur innocens*, integer scilicet, qui  
revera innoxius sit: nec improba temporis allegatione *sese tuea-  
tur, tempus pro puritate prætendens.*

Alia tamen prorsus jure canonico invaluit sententia <sup>a)</sup>,  
auctoritate Capit. 20. x. de præscriptionibus, ubi pontifex ait,  
nullam valere absque bona fide præscriptionem. Et quamvis  
nonnulli doctores, Böhmer in jur. eccles. protest. lib. 2. Tit. 26.  
Cap. 4. Coccejus in Dissert. de finib. bon. fid. in præscr. sect. 1.  
§. 18. seqq. Mencke in Diss. an requiratur Bona fides in præscriptio-  
ne actuum personalium. aliquique, nonnisi in præscriptione domi-  
nii acquisitiva, a pontifice, bonam fidem requiri autumave-  
rint; contrarium tamen, scilicet ex mente canonum, in omni

ge-

<sup>a)</sup> In materia autem præscriptionum Jure Canonico standum esse  
tralatitium est, adde Gayk. observ. lib. 2. obs. 8. n. 10.

genera præscriptionum bonam fidem requiri, ratione capituli e) generali, quæ nullam inter acquisitivam dominii, extinguitivamque juris præscriptionem, distinctionem admittit, satis evinci nobis videtur; & sic majori Doctorum accedere ceteræ nequaquam dubitamus; *Mænius Decis.* lib. 2. 102. n. 6. lib. 7. 173. n. 1. lib. 8. dec. 15. 16. *Gayl. observ. lib.* 2. 18. n. 7. *Pufendorff observ. T. 1. Obs. 115.* *Leyser medit. ad Pand. specim.* 455. n. 8. *de Cramer Observ. T. 1. Obs. 433.* *Rave in doctrina de præscriptionibus* §. 19. in nota & §. 131.

Videamus nunc de contrariis hujusc præscriptionis, dicentes primum de juribus laudatæ constitutioni 3. Cod. de præscr. 30. v. 40. ann. subductis, postea vero de modis quibus aut impeditur initium ejus, aut jam cæptæ cursus sistitur. Ad illa referuntur & merito.

A. Jura prorsus impræscriptibilia, quæ scilicet extra temporis omnem lapsum posita, vim suam in perpetuum extendunt. Eorumque non una est natura. 1°. Huc pertinent actus dicti meræ facultatis, ad quorum scilicet exercitium qualemcumque, voluntas libera agentis unice requiritur; talia jura autem impræscriptibilia esse, evincunt, tum natura ipsius

præ-

e) Hæc sunt verba pontificis: „Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est; synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis, quam generaliter fit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde opportet, ut cui præscribit, in nulla temporis parte rei alienæ habeat conscientiam.“ Vide præterea Cap. 15. 17. eodem c. 2. de R. J. in 6to.

præscriptionis quæ necessario exigit terminum, a quo demum currere incipiat, qui terminus in dictis juribus ne quidem singi potest; tum argumentum 1. Viam 2. ff. de via publ. & itln. publ. 2°. Jura quorum nondum nata est actio f). Ratio in eo ponenda est, q[uod] antequam usus juris competierit, ejus quoque non usus cogitari nequeat; in non usu autem, præscriptionem fundamentum suum habere supra jam probavimus. Idque verum est, sive propter ipsius actus naturam, sive propter expressæ aut tacitæ conditionis, Dieive certæ aut incertæ adjectionem 1. cum notissimi 7. §. 4. Cod. de præscr. 30. v. 40. annor. nondum efficaciter actio in esse constituta fuerit 3°. Jura ad Majestatem pertinentia, quatenus scilicet in subjectos competunt. De quibus tamen, prout in *majora* & *minora* dispescuntur, non una est decisio; illis nullam omnino, his saltem immemorialem præscriptionem admittentibus. Vide *Rave* de doctrina præscriptionis §. 14. doctoresque ibi citatos. Utrisque tamen a juribus fisco competentibus probe secernendis,

quum

- f) Huc merito refertur jus anni redditus, quique non ab similis videtur census annuus; quum enim in annua redditus præstatione, tot sint actiones principales, quot pensiones, & tot pensiones quot anni; consequens est in præscriptione facienda, tempus non ab exordio ipsius reddituum obligationis, sed ab initio cuiusque anni, id est cujusque specialis præstationis computandum esse, l. quum notissimi 7. §. ult. Cod. de præscr. 30. v. 40. annor. & sic juri redditum exigendorum nullo modo præscribi posse, maxime vero obligationi debiti speciali, id est præstationi uniuscujusque anni, computatis triginta annis, a momento quo obligatio nata est, id est quo pecunia debite fuit, dicta leg. 7. §. fin. *Lauterbach* Coileg. Pand. Titul. de ann. legatis §. 5-8. *Pasenstorff* obser. lib. I. Obs. 116. *Gayl.* Obser. lib. 2. Obs. 73. *Voß* ad Pand. Tit. de usu & usuf. leg. n. 4. *Hofacker* princip. juris §. 871. & not. b.

B 3

quum hæc jure civili quadragenariam præscriptionem admittant arg. l. omnes nocendi. 4. post med. Cod. de præscr. 30. v. 40. annor. ut & a juribus Ecclesiæ Romanæ, aliorumque piorum locorum; quippe, quæ postquam a Justiniano l. 23, Cod. de sacrosanctis eccles. ut & novel. IX, centenariæ præscriptionis beneficio donata fuissent, jure novissimo tamen novel. 101. c. 1. novel. 131. c. 6. ad normam quadragenariæ præscriptionis reducta fuere.

B. Ad actiones temporarias, id est, quæ certis temporibus legibus particularibus definitis præscribuntur, Sanctionem generalem l. 3 Cod. de præf. 30. v. 40. ann. non pertinere dubio plane caret, propter decentiam regulam, *sancionem generalem posteriorem non derogare legi priori specialiori*. arg. l. præcipimus 32. §. ult. Cod. de appellationibus. Et tantus est in jure nostro harum exceptionum numerus, ut munere meo defungi putem lectorem remittendo ad eum, qui maximo eruditiois apparatu, temporarias omnes actiones, ratione incrementis temporis, & testibus adductis innumeris fere legibus, enumeravit; *Johannem Voit*. Tit. Dig. de diversis tempor. Præser. n. 5. 6. Vide quoque *Lauterbach* in Disput. de varietat. Temp. art. 7. usq. ad 16.

Quod supra diximus, jura, quorum nondum nata est actio, præscriptioni nostræ subjacere non posse, etiam obtinet, quum propter impedimentum juris illa efficaciter intendi nequit. Eoque pertinet regula, quod *agere non valenti non currat præscriptio*. Jure impeditur, quicumque propter pactum sub conditione vel in diem initum, aut testatoris judicisve autoris

ctoritatem , actionem moveret nonnisi exceptione submovēndam ; sic in 1. si duobus 3. §. ult. Cod. Commun. de legatis. dicatur non obesse fideicommissario generali vel particulari, quod, pendente fideicommissi conditione, alienata fuerint bona fideicommissio obnoxia, & ante conditionis eventum, spatium longi vel longissimi temporis præscriptioni definitum effluxerit. Sed maxime is dicitur jure impeditus , cui lex obstat, quo minus intra certum tempus actionem moveat; hujusque generis nonnullæ in jure nostro occurrunt species. in 1. super annali 1. §. 2. Cod. de annali except. legimus „filiis familias, om- „nibus in his casibus, quibus res habent minime patribus suis „acquisitas, adventitias scilicet a patre tamen alienatas vel „obligatas, nullam temporalem exceptionem opponi, nisi ex quo „actionem movere potuerint, id est, postquam manu paterna, „vel ejus, in cuius potestate erant constituti, fuerint liberati“ cui adstipulantur etiam 1. Res quæ 1. in fin. Cod. de bonis ma- ternis ut et, Novel. 22. Cap. 24. in fin. Paternæ enim vel domi- nicæ potestati subiectos, nullam actionem movere posse, per totum jus nostrum decantatum est; huicque certe alludit imperator, verbis dictæ legis 1. supra relatis hæc emphatice subjiciens. „Quis enim accusare eos potuerit, si hoc non „fecerint, quod etsi maluerint, minime adimplere lege obvian- „ti valebant?“ Simile exemplum videri potest in 1. in Rebus 30. in fin. Cod. de Jur. Dotium. ubi mulier dicitur, nulla im- pediri posse temporis præscriptione, quo minus fundum dota- lem a marito stante matrimonio alienatum, dissoluto matrimo- nio sibi vindicet, nisi a tempore cessantis impedimenti, scil. ma- tri-

trimonii soluti jam longissimi temporis effluxerint curricula. Simile quid præterea observatur in vindicatione tigni alienis edibus juncti &c.

Ex iis autem, quæ communiter præscriptionem aut impeditre, aut non impeditam, saltem mediante restitutionis in integrum beneficio, inutilem efficere solent, multa sunt quæ hic locum invenire nequeant. „Non sexus fragilitate” ut ait imperator in dicta legi 3, „nec militia, nec absentia contra, tra hanc legem defendenda” & nos addamus neque etiam minore ætate: id enim ex sequentibus verbis ejusdem legis satis appareat, „sed pupillari ætate duntaxat, quamvis sub „tutoris defensione consistat, huic eximenda constitutioni” si enim duntaxat pupillaris ætas nominatim subducta sit, ergo minor ætas non erit: quum nemo unquam *minorem* sub denominatione *pupilli* comprehenderit: & hoc differt longissimi temporis præscriptio, ab ea, quæ longo tempore contenta est: hæc enim adversus minores non currit; quam differentiā nobis exhibet lex Sancimus, ult. Cod. in quib. Caus. in integr. restit: &c.

Denique, ut huicce prolusioni in nimiam molem sese jam extendenti, Colophon imponatur, breviter dicendum est, præscriptionem nostram ex mente Canonum quidem, interveniente rei alienæ conscientia, jure Romano vero; non nisi facta litis contestatione interrupti 1. ut perfectius 2. in med. Cod. de annali Exc. ita ut non satis sit, si in judicio denuo iudicationem suam fecerit actor; quum litis contestatio & intentionem acto-

actoris, & depulsionem seu contradictionem rei comprehen-  
dat. I. un. Cod. de litis contestatione, I. Rem non novam 14. §. 1.  
Cod. de judiciis. Nec si Principem adierit, quum in d. I. 3. Cod.  
de præser. 30. v. 40. an. legamus „nec sufficit precibus oblatis,  
„speciale quoddam promeruisse responsum, vel etiam in judi-  
„ciis allegasse, nisi allegato sacro Rescripto, aut in judicio po-  
„stulatione deposita, fuerit subsecuta per executorem conven-  
„tio.“ Quod etiam satis elicetur ex dispositione I. temporales  
2. Cod. quando libel. Princ. &c. ubi eæ tautum per oblationem  
precum & ad eas rescripta, perpetuari dicuntur actiones,  
quæ a Prætore constitutæ, annali tempore coarctatæ sunt. Si  
autem post litem contestatam rursus actor actionem exercere  
omiserit, illa, elapsis quadraginta annis, vi sua destituetur.  
I. un. Cod. Theodos. de action. cert. temp. fin. Gros Geschichte der  
Verjährung. pag. 70.

His ita disputatis, ad actionem tandem deveniamus, cu-  
jus intuitu, illa de præscriptione jurium extinctiva prolusio  
elaboranda fuerat. Et primo omnium ut scite quæstionis  
momentum definiatur, tenendum est, hac in scriptiuncula  
pignus minime considerari, quatenus inde jus in re, actioque  
hypothecaria creditor i nasci solet, sed tantum tanquam cau-  
sa actionis in personam, pigneratitiae seilicet directæ, quæ a  
debitore ad avocandas res pignori obligatas, adversus credi-  
torem intenditur. Sane enim juribus debitori in creditorem  
pigneratitium, creditorive in pignoris possessorem competen-  
tibus, non unam naturam esse posse, evincunt & ipsa vox

C

pigno-

pignoris g), quæ quovis sensu accepta, duas tamen toto cœlo diversas personas præsupponit, creditorem scilicet & debitorem, pignori dantem accipientemque, tum omnes juris nostri Tituli, in quibus pignorum materia evolvitur, tum denique unanimis Jurisconsultorum assensus, qui hanc materiam, hosque titulos commentariis illustrarunt.

Quæ quum ita sint, satis jam demonstratum puto, actionibus horum jurium persecutoriis, hypothecariæ scilicet & pignoratitiæ, dissimilem prorsus indolem esse debere, quod exemplis illustrare juvat. Et quidem hypothecaria in rem est, daturque creditorì aduersus quemcumque pignoris possessorem; §. Serviana 7. Inst. de actionibus. I. Pignoris 17. ff. de pignor. & hypoth. pignoratitia vero personalis competit oppignoranti aduersus creditorem & aduersus hunc solum, sicut infra probabitur. Tit. Dig. & Cod. de pign. action. illa, occasione juris in re creditorì constituti, a prætore creditorì concessa fuit, pignoris persequendi causa; hæc civilis ex contractu descendens, locum ha-

---

g) Quadruplici sensu pignoris verbum in Jure nostro acceptum suisse legimus; pro ipso contractu pignoris: ut in § ult. Inst. quib. mod. re contr. obl. I. Contractus 23 ff. de Regulis Juris I. si ut certo, 5 § 2 ff. commodati I. hujus Edicti I. § 4 ff. de pactis. pro Jure in re in securitatem debiti constituto. I. non est. 26 ff. de pigner. act. Tot. tit. ff. quib. mod. pign. vel Hyp. tac. contrah. tot. tit. eodem quib. mod. pign. solv. pro nexu pignoris, five vinculo rem ipsam tenente. I. Epistola 52 § 2. ff. de Pactis. I. ait Prætor I. § 4 ff. ne vis fiat ei, qui &c. I. si Pater 33 ff. familiæ exciscundæ. I. si cessante 7 Cod. de distract. Pignor. I. Creditor 3 Cod. de pigner. act. Denique & pro ipso re obligata § 7 Inst. de actionibus. I. Paulus 29 pr. ff. de pignor. & hypoth. I. obligationes I § 6 ff. de oblig. & actionibus &c.

bere nequit, nisi re pignori tradita acceptaque: Hypothecaria, jure pignoris perempto, id est soluta pecunia, exspirat; pigneratitia tum demum efficax est, imo secundum multorum opinionem, tum demum in esse constituitur, quod argumentum postea curatus tractabitur: Illa *hypothecariæ* sepius, *Servianæ*, quasi *Servianæ*, utilis *Servianæ* nonnumquam §. 7. Inst. de actionibus, pignoris vindicationis quoque 1. quum te 4. 1. debitum 5. Cod. de remissione pignor. 1. Paulus 12. §. 1. ff. quib. modis pig. vel hyp. solv. imo, promiscuo quasi facto verborum usu, *pigneratitiæ* actionis multoties nomine venit. 1. Titius 9. pr. ff. eodem 1. si Titio 22. ff. de pignor. & hyp. 1. rem alienam 41. ff. de pignor. actione. 1. communi. 7. §. 12. ff. communi dividendo. Hæc appellatur pigneratitia semper, & hoc unum duntaxat nomen habet, nam quod in 1. Creditor. 40. ff. de pignor. act. & in 1. fidejussor. 2. ff. de pignorib. & hypoth. dicatur *judicium de pignore dato*, magis ad Prætoris officium, prima que Edicti verba h) referendum videtur. Est & alia differentia, quoad dictarum actionum præscriptionem. Hypothecaria enim interdum longo tempore finitur 1. diuturnum 1. 1. sed debitori 2. Cod. si adv. credit. præscr. opponatur, 1. fin. Cod. de obli-

- h) Hanc actionem a Prætore in Edicto perpetuo, sub titulo generali de *Rebus creditis* inclusam fuisse, testis nobis est Ulpianus 1. e re eft. 1 ff. de *Rebus credit.* quam Edicti partem restituere conatus est Ranchinus in Edicti perpet. restit. apud Meermann Thes. t. 3 p. 248, sed benigniori Minerva id tentavit Noodt ad Tit. Dig. de pigner. Act. his verbis verba Prætoris reponens:
- „Quod Pignori datum esse dicetur, de eo, soluta Creditori pecunia, aut quum eo nomine satisfactam fuerit, perve eum habbit, „quominus id fiat, judicium dabo.“

obligat. & actionibus, interdum vero triginta, interdumque quadraginta annis l. cum notissimi 7. §. 1. 2. Cod. de præscr. 30. v. 40. ann. pigneratitia vero nullam nisi tricenariam pati potest præscriptionem, sicut abunde ex hac disputatione patebit i).

Supra diximus, præscriptione actionum extinctiva, inanem effici actoris intentionem, omniaque perimī, quæ actionis complexu comprehendebantur, perinde ac si nunquam exigi potuissent: hec quid sibi velint in specie actionis pigneratitiae, disquisitis iis, quæ in eam veniant, mox luce clarius apparebit. Et primo quidem, nos docet *Papinianus*, creditorem pignoris possessionem, quæ corporalis apud eum fuit, restituere debere, l. debitor 40. §. 2. ff. de pignor. act. sicut & eum de ea re, quam accepit, restituenda, teneri actione pigneratitiae, ait *Gajus* l. obligationes 1. §. 6. ff. de obligationibus & action. Gajumque secutus *Justinianus* §. fin. Inst. quib. mod. re contr. obligatio. idque locum habere, five res illa sit debitoris propria, five non & hoc sciverit debitor, testis est *Ulpianus* l. si pignor. 22. §. 2. l. si rem alienam 9. §. 4. ff. de pignor. act. quum enim, ad producendam pigneratitiam, non requiratur dominium rei in debitore, qui dedit pignus d. l. 9. §. 4; in vacuum certe, ultraque quæstionis fines ageretur creditor pigneratius, excipiendo de dominio rei alieno, quæstionemque agen-

---

i) De differentiis harum actionum, egerunt, *Vinnius* ad §. 4. Inst. quib. mod. re contr. &c. *Cujacius* ad l. 1. 2. 3. Cod. de pigner. act. *Negusantius* in tractatu de pignor. & Hyp. parte 7. membr. 1. 2. *Bachovius* eodem tractatu, tit. 5. cap. 15. n. 1. *Völt.* ad Titul. ff. qui potior in pig. &c. n. 1. seqq. *Lauterbach* Tit. de pigner. act. §. 13. &c.

agenti pigneratitiae referendo, nullo modo intentioni ejus contrariam. Sicut ex l. Rescriptum. 12. §. 1. ff. de distracti. pign. collegerunt, & arg. l. bona fides 31. §. 1. ff. depositi; l. si alienam u. ff. soluto matrim. dos &c. exposuerunt, *Bachovius* tract. eit. lib. 5. cap. 21. pag. 466; *Negauantius* de pignorib. & hyp. part. 7. membr. 3. n. 12. *Lauterbach* in Colleg. Pand. Tit. de pignor. act. §. 17. salva tamen creditorri manente exceptione proprii dominii, quum iniquum sit, quemquam rem restituere cogi, quam ad se pertinere probat, & admodum præterea exceptione vi-deatur adjuvandus is, cui actio, scilicet vindicatio contra posseforem daretur; sicut posthabita mera juris civilis subtilitate, nonnisi quis æquitatis rationes fecutus, in casu rei apud dominum depositæ, observari scriptis *Tryphoninus* l. bona fides 31. §. 1. ff. depositi.

Sit ergo pignoris restitutio primus actionis pigneratitiae effectus. Amplius progrediendum est, dicendumque, in eo to-tum actionis cardinem verti, præterque restitutionem illam, ad nihil amplius creditorem teneri, quod evincunt Papiniani verba in l. 40. §. 2. ff. de pignerat. act. „hæc tradentis: *solu-ta pecunia, creditor possessionem pignoris, que corporalis apud eum fuit, restituere debet, nec quicquam amplius praestare co-sigitur,*” huic tamen sententiæ nonnulla primo adspicu ob-stare videntur. Sane enim in l. pignore 22. §. 2. ff. de pigner. actione. legimus, re pignori tradita, competere & de fructibus pigneratitiam actionem; etiam nos docet *Paulus* l. si con-venerit 18. §. 1. ff. eodem, accessionum, & nominativi ususfru-stus accrescentis, alluvionisque, in hac actione rationem ha-be-

beri: de partu ancillæ pignori obligatae in eadem causaposito, in qua & Mater erat, ut & de foetura gregis, extant textus, in l. partus 1. Cod. de partu pignoris & omni causa, l. *Paulus* 29. §. 1. ff. de pignor. & hypoth. l. *Grege* 13. pr. ff. eodem. Adhuc *Tryphoninus* in l. si is, qui in. 63. §. 4. ff. de acquir. rer. domin. scribit, creditorem, si in fundo pignorato thesaurum invenerit, dimidiam partem sibi, non qua creditori, sed qua inventorii servare; dimidiam vero, tanquam praedii accessionem, reddere compelli, non omittenda est præterea l. si pignore 22. pr. ff. de pigner. action. in qua, quum creditori pignus subreptum fuisset, & deinde creditor furti actione agens, duplum consecutus esset aut quadruplum, querebatur, an hæc pecunia creditori lucro cederet? Minime. probat enim *Ulpianus Papiniani* sententiam existimantis, creditorem, totum, quidquid perceperit, debito imputaturum, & si minus in debito sit, totum, deducto solo debito, debitori restituturum; quod vuit etiam *Paulus* in l. Creditoris 15. pr. ff. de furtis, & exemplo admodum simili pecuniæ ex actione quod metus causas redactæ, adjuvatur dispositione legis 22. §. 1. ff. de pigneratitia act.

Ait Papinianus, creditorem nullam nisi possessionem pignoris, quæ corporalis apud eum fuit restituere debere, & modo vidimus, illum etiam fructuum, accessionum, & pecuniæ ex pœnaliibus actionibus redactæ ratione teneri; dicemus ne Jurisconsultum acutissimum in l. 40. §. 1. ff. de pigner. act. ab *Ulpiano*, *Paulo*, imo a se ipso (l. 22. pr. & 1. ff. eodem) diffensisse? Minime credas. Optimus numquam dormitat Papinianus.

Lex

**Lex 40 § 1 ff.** de pignor. act. generalem habet dispositio-  
nem, sub qua accessiones modo relatæ, non minus quam ipsa  
res tempore contractus pignori obligata, continentur. An  
non & fructus, & incrementum latens, & partus ancillæ, pe-  
cudisve fœtura, & pœcunia ex actionibus pœnalibus redacta,  
æque ac corpus ipsum in contractum deductum, possessioni,  
quæ corporalis apud creditorem fuit, subjacent? annon igitur  
venient in restitutionem illam, quam plenam fieri postulat  
Papinianus? Maneat igitur Jurisconsulti dicto integra sua vis,  
æqualis scilicet illi, qua pollent leges de hac materia specia-  
les, quas supra retulimus, ut & omnes eæ, quæ hic silentio  
prætermissee in jure nostro sparsæ reperiuntur.

Restituenda igitur est Res, & restituenda æque bona ac  
tempore initi contractus erat; quapropter tenetur Creditor si  
dolo ejus, & quæ vulgo sub dolo comprehenditur, lata cul-  
pa, res quid detrimenti ceperit; amplius & de culpa levi te-  
neri eum, dicendum est, secundum regulam I. si ut certo 5 § 2  
ff. Commodati propositam & arg. I. contractus 23 ff. de Regulis Ju-  
ris, ut & § ult. Inst. quib. mod. re contr. &c. Casum fortuitum  
quod attinet, ille non magis in pignore, quam in quovis alio  
contractu suscipitur § ult. Inst. citato. I. si Creditor 5. I. si fortui-  
tis 6. Codicis. de pigneratitiae actione. nisi id expresse vel ta-  
cite convenutum appareat, aut sicut in I. quæ fortuitis 6. Co-  
dicis. de pigneratitiae act. legitur „nisi inter contrahentes pla-  
„cuerit, ut amissio pignorum liberet debitorem”. Alia est

ex-

exceptio, si Creditor propria auctoritate rem occupaverit (quod declaratur perspicua specie l. qui ratiario 30 ff. de pign. action. „Qui Ratiario crediderat, quum ad diem pecunia non solvere, retur, Ratem in flumine sua auctoritate detinuit, postea flumen crevit & ratem abstulit; si invito Ratiario retinuisse, set, ejus periculo ratem fuisse, respondit; sed si debitor sua voluntate concessisset ut retineret, culpam duntaxat ei praestandam, non vim majorem).” Aut alia culpa vel mora casum praecesserit.

De culpa levissima, idem, quod de casu dicendum est, propter auctoritatem l. si ut certo 5 § 2. ff. commodati l. contratus 23 ff. de Regulis Juris. Scilicet de illa creditorem regulariter non teneri *k*), propterea quod saepius in pignore utriusque

*k*) Mirum est, qnam obscura in Jure nostro sit questio de præstatione Culpæ in variis contractuum generibus, aut ut rectius forsan loquar, quam indeterminatae sint, vox ipsa *Culpa* & quæ illi opponuntur *Custodia* & *Diligentia*. Exempli causa sit, ipse noster pignoratius contractus, in quo regulariter dolum tantum, latam & levem culpam præstari, & textus laudati & analogia Iuris evincunt. At legimus tameu, Diocletianum & Maximianum l. 19 Cod. de pignor. & Hypoth. Maximo rescriptis „Creditori rem, sicut vim majorem pignorum præstare non habet necesse, ita Dolum & Culparam, sed & Custodiā exhibere cogi.” Quid? Generaliter receptum est, & sexcentis exemplis confirmatur, Culparam in abstracto positam, Culparam significare levem, Custodiā diam vero, diligentiam exactissimam. Qui nodum explicabimus? An Imperatores, Tribonianum, Compilatorumque omnem turbam, inscitiae Reos faciemus? periculosem effet. Aut cum Bachovio tractatu cit. lib. V cap. 2, n. 4. distinguendo inter culparam in omitendo & in committingdo commissam, illam defecutus custodiæ, hanc culpæ in specie nomine venire dicemus? aut Accurium ad d. l. 19 secuti, contendemus Imperatores a com-

que contra hentis vertitur utilitas, creditoris scilicet, ut ereditum securum sit, debitoris vero, ut mutuantem in-  
ve-

communi usu loquendi recessisse & culpae nomine non nisi latam, custodiae vero, medianam intellectu diligentiam? Non minus Do-  
ctoribus crucem fingunt haec verba l. 13 § 1 ff. de pignerat. act.  
„Venit autem in hac actione & dolus & culpa ut in commodato,  
venit & custodia, vis major non venit“ Constat enim, in com-  
modato, utpote solius accipientis utilitatem continentem, & te-  
vissimam culpam venire. *Accurſus* ad d. l. 13 § 1. & *Contius*  
ad l. 23 ff. de Reg. Juris. distinctionibus rem confidere putant,  
tantorum virorum prudentiae nequam adaequatis. *Jacobus  
Gothofredus* ad d. l. 23 nodum mihi, non tam quidem resol-  
vise, quam abscidisse videtur. *Jurisconsultos*, diversarum par-  
tium, *Ulpianus* inconstans arguens. *Cujacius Obs.* lib. 19  
c. 24, illumque fecutus *Vest.* in Comment. Pand. Tit. de pigner.  
act. § 5 exigitur autem, *Ulpiano* propositum fuisse, ut doceret, in  
Pignore circa Culpam prestationem, nihil singulare inveniri, sed  
communem servari opportere Juris Regulam l. 5 § 2 ff. commo-  
dati, propositam, & sic generalia verba l. 13 § 1 ff. de pign. act.  
ad eum casum refringenda esse, in quo pignus ad solius acci-  
pientis utilitatem respiceret. Haec viri doctrinam: sed fateor me,  
nulli dictaram conciliationum accedere posse, lubentiusque par-  
tes fecuturum *Nochtii* aut *Wernheri*, qui textum d. l. 13 § 1. li-  
brariorum incititia vexatum fuisse autumant; emendationesque  
proponunt, admodum simplicitatis, verosimilitudinisque spe-  
ciem præ se ferentes. *Nocht* quidem l. I. Probab. c. IV, &  
comm. ad Pand. Tit. de pign. act. transformatione admodum  
exigua fere unius litteræ, & interpunctionibus leviter immuta-  
tis, loco verborum d. l. 13 § 1. *Venit autem in hac actione &  
Dolus & Culpa ut in Commodato, venit & Custodia, vis major  
non venit haec reposuit „venit autem in hac actione & Dolus &  
& Culpa, at in Commodato venit & Custodia, vis major non venit“*  
*Wernher* autem Comm. Pand. Tit. de pign. act. §. 6. omnia se  
habere plana putat, modo commata aliter formentar, quod  
licet in Digestis, quoties ex mutatione commodior sensus  
eliciti potest, quam fine interpolatione sint scripta; sicutque  
legendum proponit, *venit autem in hac actione & Dolus &  
& Culpa, ut in Commodato venit & Custodia, vis major non venit.*

D

&amp;

veniat §. ult. Instit. quib. mod. re contr. obl. Exceptio igitur erit, si solius creditoris in contractu deprehendatur utilitas, si ad hoc speciale pactum de culpa levissima praestanda adjectum sit, si propria auctoritate creditor rem occupaverit.

Non hic sufficendum; pignoratitia tenetur etiam creditor, qui, cessante solutione, nec reluctante lege contractus, ea, quæ sibi nexa erant, distraxit. Et quidem, si non bona fide in vendendo pignore versatus fuerit, quum revocari venditionem iniquum esset, ab Impp. rescriptum legimus, non emptorem a debitore, sed creditorem circumveniendum esse l. Creditor 4. l. si cessante 7. Cod. de distract. pign. huncque ad omne interesse teneri l. Praeses 1. l. cum contra 4. Cod. si vendit pign. agatur. Sive illud interesse circa fructus, sive circa damnum irrogatum versetur. In specie tenetur ad restituendum id, quod supra debiti quantitatem ex pignore redactum habet. l. Creditore 5. Cod. eodem. l. secundum. 20. Cod. de distr. Pignor. l. elegantur 24. §. 2. ff. de pignor. act. uti ad praestandas hujus superflui usuras l. Creditor 42. ff. de pignor. act. si pecuniam ex pretiis pignorum in suos usus converterit, aut scenori collocaverit, aut moram fecerit in restituendo l. si quamvis 6. §. 2. l. si autem 7. ff. eodem. Quod postremum procul dubio, pignoratitiae nostræ ex natura judiciorum bonæ fidei, accommodatum est.

Ea

& quum Gajus l. in Rebus 18 princ. ff. commodati, diserte scripsiterit, culpam in contractibus, quæ utriusque gratia fiunt, non æstimari, sicut regulariter æstimatur in commodato, in unam alteramve harum emendationum lubentissime consentio.

Ea sunt fere, quæ in jure nostro, de præstationibus in pignoratiam venientibus, reperiuntur, quarumque ne unica quidem, actione in irritum constituta, obtineri poterit. Igitur creditor, si agentem pignoratitia debitorem exceptione temporis legitimi effluxi repulerit, neque ratione ipsius rei refutuendæ, neque fructuum, neque accessionum, neque omnis causæ, neque damni, dolo, lata, levissimaque culpa, casuve fortuito dati ratione tenebitur: Et si ab eo pignus distractum fuerit, neque interesse, superfluum pretii debitum excedens, usuræve qualescumque exigendæ venient.

Nunc videndum, cui hæc præscriptio profugio esse possit; & patet primum, creditorem, qui pignus ex contractu suscepit, illa securum fieri posse, quum adversus eum pignoratitia intendatur; sed amplius procedendum, dicendumque, creditorem solum hac præscriptione defendi, non vero fidejussorem, non secundum creditorem pignus pignoris habentem, aduersus debitorem primum simulque pignoris Dominum, non tertium pignoris possessorem. Sed quum hic animadvertam, multos alia incessisse via, maneat saltem in hypothesi hæc sententia nostra, donec disquisitis, dissolutisque argumentis contrariorum, veluti profligatis nubibus, illi lux accedere possit.

In promptu est autem, quæstionis nostræ decisionem ab illa omnino pendere, utrum pignoratitia actio ultra personas ex contractu obligatas extendatur, aduersusque

D 2 ter-

tertium recte competit possessorem. Et in hoc multisaria mihi videtur esse Doctorum sententia, nonnullis censentibus, affirmativam veram esse, tum de jure civili, tum de jure canonico; ut *Leyser* Medit. ad Pand. Vol. 3. Specim. 155. med. 5. *Cannegießer* Decis. Haffo - Cassel. T. I. Dec. 41. n. 2. *Maevinus* Decis. part. 5. dec. 345. in principio. quibusdam negantibus de jure civili, auctoritate canonum vero, affirmativam ut veriorem securis, ut *Baldus* in Rubr. Cod de pign. actione. *Neguantius* tractatu cit. part. 7. membr. 2. n. 2. & hanc opinionem communem haberi ait *Leyser* loco citato. aliis deinde existimantibus, jus canonicum in hoc cum civili consentire, quod ex utroque, nonnisi adversus creditorem pignoratitia obtineat. *Bachovius* tractatu cit. lib. 5. cap. 19. n. 1 seqq. *Lauterbach* Colleg. Pand. Tit. de pignor. act. §. 16. Doctoresque ibi citati; *Stryck* usu. mod. eodem Tit. §. 11. *Schilter*. Ex. ad. Pand. D. 26. §. 10. *Berger* Oeconom. Jur. lib. 3. Tit. 2 Th. 17. n. 3. *Wernher* in lection. comm. eodem Tit. §. 16. *Koechy* meditat. 17. *Dabelow* §. 2421. huicque sententiae me calculum meum addere lubentissimus profiteor.

Et quidem, si dissentientium argumenta attingere velis, illa, aut ex ratione juris generali, aut ex specialibus textibus elidi necesse est; tertium non datur. Ratio juris si spectetur, quemadmodum quæso dici poterit, actionem personalem, imo ex contractu descendenter, ultra personas ex contractu obligatas extendi posse? quum haec sit ipsissima talium actionum essentia, quod ipsius contractus finibus includantur, vel, ut est in l. actionum, 25. pr. ff. de ob-

lig.

lig & action. „Quod semper adversus eumdem locum habeant“ contractibus enim obligantur, nonniſi contrahentes, illorumque hæredes, non vero tertius poffessor; igitur contractu pignoratio tenebuntur pignori dans, pignorique accipiens, illorumque hæredes; aliis quisquam nullo modo. Actio ex obligatione oritur, est modus ad vindicandum jus ipsum, quod ex obligatione mihi competit, a legibus concessus; ubi igitur nulla ex contractu obligatio est, nulla ex contractu erit actio; & ni fallor, inauditum est in jure nostro, quod actioni ex contractu qualitas talis adjecta fuerit, quam pigneratitiae inesse contendunt; nec me turbat quod actiones quædam personales natura sua adversus quemcumque intendi possint, (actiones sic dictæ *in rem scriptæ*) hæ enim minime ex contractu oriuntur, & sic ad eas non potest pigneratitia nostra referri, quamvis aliter nonnulli autumaverint, teste *Negfiantio* tractatu cit. p. 7. membr. 2. n. 2. Quod autem *Puttman* in Disſi, de pign. act. contra tert. Pign. poffess. haud deneganda, diſputat, alias dari actiones ex contractu oriundas, quibus tertius poffessor inquietari possit, exempli gratia actionem hypothecariam afferens, ex eo statim refellitur, quod *eadem* actio ne quidem in personam, sed unice in rem fit.

Nunc si textus speciales investigemus, quibus sententiam suam propugnari putant, adhuc dubito, num ex iis firmius argumentum pro ea colligi possit; non enim id efficiet 1. Servos 2. Cod. si vend. pign. ag. in qua dicitur tantum, patrem meum vel me, si hæreditas ejus ad me

pertinet, a possessoribus servos repeterere posse, quos nullo jure creditor vendiderat: neque 1. si uxor. 3. Cod. eodem. quæ agit de specie, qua creditor, servis oppignoratis dolose minori pretio distractis, impar solvendo repertus fuit, & emptores fraudis conscientia erant; sicut apparet ex his verbis dictæ legis *per gratiam*, *eum solvendo non fuisse & rectissime obser-  
vavit Brunnemannus ad hanc leg. in Cod. pag. 995.* neque lex cum contra sequens Cod. eodem; in qua, propter venditionem possessionis obligatae a creditore mala fide factam, dicitur debitor, adito præside provinciæ, etiam adversus emptores fraudis conscientias, actione competenti agere posse. Observandum enim, his in legibus, actionem quidem debitori concedi adversus possessores emptoresque rerum pignori obligatarum, nullo vero modo eam determinari, quæ in memoratis casibus locum obtineat, ideoque Imp. rescripta optime de actione dominii persecutoria, Rei vindicatione scilicet, intelligi posse; omnibus hujuscce actionis requisitis hic concurren-  
tibus.

Age! neque enim hic nos subsistere sinunt. Lex si Creditor. 2. Cod. si pignus pign. datum sit, casum proponit, quo creditor rem sibi obligatam rursus pignoris jure assecerat, eaque solummodo asseritur, Debitorem primum, simulque pignoris Dominum, soluto eo, quod ex hac causa creditori debetur, intercessu Præfidis provinciæ, possessionem recuperare posse. De pigneratitia vero altum est silentium; neque ex eo, quod primus debitor pecuniam solvendo liberet pignus, capaxque fiat

fiat actionis intentandæ, sequitur, eum propterea agere pigneratitia posse contra creditorem secundum; neque quod id possit, probatur verbis *Papiniani* 1. Debitor 40. §. 2. ff. de pigneratitia actione. „Itaque si medio tempore, pignus creditor „pignori dederit, Domino solvente pecuniam, quam debuit, „secundi pignoris, neque persecutio dabitur, neque retentio „relinquetur“ quum hæc multo magis nostræ favere sententiæ videantur, ut observavit *Wernher* loco citato. An non ait *Papinianus* secundi pignoris persecutionem non dari? Aut possunt hæc verba *pignoris persecutio* alii, quam pigneratitiæ actioni accommodari? Nec me turbat quod etiam dicat *secundi pignoris retentionem non relinqui*, imo animum auget; hæc enim secundum creditorem respiciunt, qui jus omne suum ex primi creditoris jam dimissi jure metiri debebat, ac propterea resoluto hujus primi creditoris jure, nonnisi ini quis remanens rei pigneratæ possessor, rei vindicatione per Dominum recte conventus, nullo retentionis jure, ulterius rei redhibitionem effugere poterat.

Hæc fere de jure civili, ex canonibus autem adducitur Cap. cum contra X. de pignor. quod multis Doctoribus tanti ponderis visum fuit, ut illius auctoritate, quam jure romano defendere non poterant opinionem, adhuc tamen in praxi adducendam putaverint. Nunc videamus quam recte.

Dictum Capitulum instar duarum legum proxime laudatarum, intelligendum est de casu, quo creditor pignus sibi tra-

traditum rursus pignori dederat; quum ibi dicatur, debitoris  
hæredes adhuc agere posse contra creditorem secundum, cui  
ab hæredibus creditoris primi obligata fuerant bona ipsius  
debitoris, & hac actione eos recte petere, ut fructibus per  
eum perceptis in fortē computatis, bona obligata sibi re-  
stituerentur, quamvis nec debitor, nec hæredes debitoris,  
cum dicto secundo creditore contraxerint: Et licet notante  
*Negusant.* loco citato Canonistæ valde dubitaverint, qua  
actione agere possint dicti hæredes debitoris, contra dictum  
secundum creditorem; aliis rei vindicationem, aliis merum  
officium judicis, aliis denique pigneratiam in rem scriptam  
ex æquitate canonica admittentibus; quum tamen pignerati-  
tia hæc in rem scripta, quid commenti redoleat, Innocen-  
tiusque pontifex, ipsius capituli verbis contextuve, nullam,  
neque pigneratiam, neque aliam determinaverit actionem;  
nec admittere possimus, illum sine ratione ab inconcussis ro-  
mani juris &, ut ita dicam, sensus communis, principiis, disce-  
dere voluisse; adhuc non intelligo, quemadmodum dissentien-  
tientes sibi hoc capitulum propugnaculo esse putaverint, & que-  
nam ratio valida ex eo desumi queat, qua ad credendum com-  
moveremur, quod etiam ex mente juris canonici, primus debitor,  
nec rei vindicatione, nec actione in factum, ad pignus suum re-  
cupерandum, adversus secundum creditorem experiri debeat.

His mihi satis videor probavisse, neque ratione juris,  
neque speciali quocumque textu, sententiam nostram infir-  
mari; sed si quis sit, cui non sufficiat jus nostrum nobis non  
ob-

obstare, adhuc mos gerendus est, probandumque, nos tu-  
tissimo textuum disertissimorum munimento defendi. Audi  
*Ulpianum* sedulo distinguentem actionem pigneratitiam no-  
stram, a rei vindicatione, ut & ab actione in factum. Quum  
venderet creditor pignus, inter ipsum & emptorem convenie-  
rat, ut soluta pecunia emptori, debitori licentia esset rem  
suam recuperandi. Sed qua actione? id præcise determina-  
re voluit *Ulpianus* hæc addens „Scripsit Julianus, & est re.  
„scriptum, ob hanc conventionem, pigneratitiis actionibus  
„teneri creditorem, ut debitori mandet ex vendito actionem  
„adversus emptorem; sed & ipse debitor aut vindicare rem  
„poterit, aut in factum actione adversus emptorem agere;”  
l. si cum venderit 13. pr. ff. de pign. actione. idem colligi potest  
ex verbis ejusdem *Ulpiani* in l. petenti. 27. ff. eodem. & si quid  
adhuc dubitationis superfit, evanescet certe, auctoritate l. se-  
cundum 20. Cod. de Distr. Pignerat. ibi *Diocletianus & Maximianus*: „secundum placiti fidem, si nihil convenerit specialiter,  
„pignoribus a creditore, majori, quam ei debebatur pretio, di-  
„stratis, licet ex eo fundus comparatus sit, non super hoc  
„in rem, sed in personam, id est, pigneratitia de superfluo  
„competit actio.”

Maneat ergo, pigneratitiae nostræ nequaquam accedere  
qualitatem naturæ ejus adeo contrariam, ut necesse esset,  
unam ab altera tolli; maneat, illam personalem esse, non in  
rem scriptam, sed ex contractu & ideo contractus fines ob-  
servantem; nonnisi adversus creditorem intentandam, ita ut

E ne-

neque contra fidejussorem exerceri possit, qui, cum forte praediis & prædibus a debitore cautum esset, pignora atque hypothecas susceperebat, atque ita pecuniam solverat; sed ipse mandati agat, & ex mandato cum eo agatur 1. fidejussor. 2. ff. de pignor. & hypoth. de qua mandati actione etiam recte intelligitur 1. fidejussor. 26. in princ. ff. eodem: neque debitori primo competat contra secundum creditorem, nisi forsitan præstata sibi a creditore primo pigneratitia, illam, velut ex jure cesso, debitor adversus creditorem secundum intendere vellet. 1. si cum venderet. 13. ff. de pigner. act.

Dicet ne aliquis obstarere, quod in 1. si creditor. 28. §. 1. ff. eodem. *Julianus* scripsiterit, si servus peculiari nomine pignus acceperit, actionem pigneratitiam debitori adversus dominum competere, ut & quod simile quid argumento d. 1. 28. juncta 1. sed mihi. 3. §. 4. ff. commodati, de filiosfamilias peculum, profectum scilicet, tenente, a Doctoribus vulgo tradatur? Minime credas. Imo haec regulam magis confirmant, quam notissimi juris sit, patrem dominumque ex contractibus filii, servique obligari rem peculiarem spectantibus; quod etiam argumento a contrario deducto, evincitur 1. solntum 11. §. 6. ff. de pignor. act. ubi negatur per liberam personam nobis obligationem acquiri, adeo ut, ait *Ulpianus*, nec per procuratorem plerumque, vel tutorem adquiratur, sed ipsi actione pigneratitia convenientantur.

Currit haec præscriptio adversus debitorem, & generaliter eum, qui pignus dedit, quam huic soli pigneratitia exerce-

cen-

cenda competit, parumque interfit, sive pro suo debito, sive pro alieno, rem pigneris nexu afficerit; unumquemque enim, exemplo fidejussionis, res suas pignori dare pro alieno debito posse, testantur 1. si mulier. ult. §. 1. ff. ad SCtum. Welley 1. item quæritur 13. §. ult. ff. locati. At quum de eo, quod plurimum accedit, jus constitui debeat, ne in materia tam gravi, hilum sectari videamur, prætereaque ea, quæ de uno dicimus, ad alterum commodissime protracti possint, nobis hac in disputatione de debitore solum & hucusque fuit & in posterum erit sermo. Parum interest præterea, sive oppignorans rei dominium habeat, sive jus in re talem, quod oppignorationem non respuat, veluti emphyteuseos, superficiei, ususfructus, immo ipsius pigneris. arg. 1. Tutor. 16. §. ult. ff. de pigner. action. 1. si is qui bona 11. §. 2. ff. de pignerib. & hypoth. seu nullum omnino jus; quod enim aliena res pignori dari voluntate domini possit, sed & si ignorantे eo data sit, sustineatur tamen pignus interveniente ejusdem ratihabitione, arguit 1. aliena res 20. pr. ff. de pigner. act. & hoc in casu igitur oppigneranti concedenda erit pigneratitia, & adversus eumdem curret præscriptio. Sed & non hic subsistendum, quum leges nostræ idem jus, pigneratitia agendi scilicet, etiam concedant possessori, sive bona fide possideat, sive prædo rem furtivam pignori derit; quam, licet sine effectu pigneris jure devictam, hac actione tamen sibi reddi recte petit, eam deinde domino restituturus. 1. si pignore 22. §. 2. ff. de pignerat. actione.

Restat adhuc, quoad hanc pigneratitiæ præscriptionem, quæstio valde difficultis, & quæ, licet jam tribus fere abhinc

seculis, ad nostra usque tempora plurimis disputationibus illustrata, Doctoribus tamen continuo pomum Eridos fuisse, & adhuc esse videtur. Quæstionis famam difficultatemque pepererunt, non tam quidem contraria veterum Jurisconsultorum scripta, quam potius Interpretum minus exacta differendi ratio, qua illi Flaviano syllabarum aucupio nimis accurate inservientes, neglecta vero certissima juris ratione, multa quidem confusione, nonnullaque sorsan hac in juris particula perturbasse mihi videntur. Nos ergo sedulam navem operam, ut dextrum Scylla latus, lævumque implicata Charybdi obsidentibus, vitatis, tandem secundo flatu tumentibus velis, ad portum alacriter contendere possimus.

Et quidem definiendum proponitur, quo tempore currere incipiat illa præscriptio, de cuius natura, requisitisque, hucusque disputatum fuit. Quæ quæstio, uti in hac scriptiuncula jam multoties accidit, ab altera pendet nonnisi ex natura pigneratitiae actionis eruenda. Nimirum præscriptio actionum existentia, actionem tanquam vis suæ subiectum præsupponens, & quum præterea secundum illa, quæ initio hujusc disputationis tradidimus, illius hic sit effectus, ut tantum exceptionis ope inanem efficiat actoris intentionem, actionem suo cursu præcedere, id est, ante actionem natam initium suum habere nequit; non usus enim sine usu, uti nec interitus sine vita, nequaquam intelligitur; nec magis in jure, quam in natura dari potest præpostera vis. Tempus igitur natæ

natæ actionis definiamus, ut simul definiatur & illud, a quo actoris negligentia, & secundum principia supra relata, præscriptio in hac negligentia fundata, currere incipiat.

Et primum constat, hanc actionem venire ex contractu pignoris. Id evincit & nomen utriusque commune & natura actionis contractus fines observantis, quum ei, & adversus eum detur, qui contractu se obligarunt, deturque ad repetendam rem ipsam, quæ in conventionem deducta fuerat; & textus juris nostri disertissimi. Sane enim aliud quid significari verbis *Gaji* l. obligationes 1. §. 6. ff. de Obligat. & action. nullus intelligo, ut & textu in §. ult. Inst. quib. mod. re contr. oblig. ipsissima *Gaji* verba referente: „Creditor, qui pignus accepit, re obligatur, quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur actione pigneratitia.” Et sic non tantum verbo tenus, sed etiam re, consentio cum his Doctoribus, a quibus scriptum fuisse animadverto: „ex eo quod posita causa ponatur effectus, nulla autem alia causa actionis dari possit, quam convention & obligatio, necesse esse, ut, posito contractu pigneratatio, ponatur etiam obligatio & actio.” *Bachovius* tractatu cit. lib. X. cap. 16. *Franckius Comm.* ad Pand. Tit. de pigner. aet. §. 6. seqq. *Vinnius Quæst. Jur.* sel. lib. 2. cap. 6. *Westphal*, in feiner systematischen Erläuterung von dem Römischen Pfandrechte §. 259.

n. 291.

Altera sit positio, hanc actionem non nasci, scilicet non intendi posse, nisi soluto pignoris vinculo, aut si debitum quævis ratione non extiterit, aut existere desierit. Ad quam

E 3

ulti-

ultimam speciem referri debet textus in I. solutum, II. §. 2. ff. de  
pigner. actione. „Si, quasi datus tibi pecuniam, pignus acce-  
pero, nec pecuniam dedero, pigneratitia actione tenebor, &  
„nulla solutione facta;” quum, ut contrahatur pignus, satis sit,  
quid pignori datum fuisse; nec opus sit solvi, quum non de-  
bebat, quippe tantum sperato, non contracto debito: „Idem-  
„que, & si accepto lata sit pecunia (de quo fuis infra) vel  
„conditio defecit, ob quam pignus contractum est, vel si pa-  
„ctum, cui standum est, de pecunia non petenda factum est;”  
quippe conditione, pactoque de non petendo formam danti-  
bus contractui, sicut jam a Decemviris constitutum fuerat his  
verbis „REM. UBI. PAGUNT. RATUM. ESTO.” Gell. noct. att. lib. 17.  
c. 2. vide Galvanum de usufr. cap. 16. n. 12. seqq.

Ne objurga quæso, hæc superioribus contraria esse, sic-  
que me mihi obstarere, hæc enim valde distant, actionem ex  
contractu descendere, & actionem eo ipso momento, quo con-  
tractum fuit, nasci, seu in esse constitui. Ut foetus utero con-  
ceptus, nondum homo est, nec hominis nomine venit, sic  
actio, quamvis ipso contractu illius germen positum fuerit,  
non tamen ipso contractus momento actio est, omnibus suis  
requisitis adornata, nec actio dici potest; nam quod in illo  
efficit ipse partus, operatur in hac solutio pecuniæ. Utrum-  
que enim & partus & solutio liberationem intendit, utrum-  
que naturam causæ contractui proximæ obtinet, aut, si ma-  
vis, conditionis, sine qua non.

Et

Et quidem sciendum, minime in Jure nostro novum esse, actionem ex contractu descendere, & tamen non ipso contractus momento, sed postea demum, & mediante aliquo facto, actionem nasci. Non huc cum *Negusantio* tractatu cit. part. 7 membr. 2 n. 7 & *Glossa* ad § omnis. 3. 1. si rem alienam. 9 ff. de pigner. act. Casum mutui *reconciliati* referam, mutui scilicet pecuniae alienae, ex quo, ut nascatur conditio certi, necesse est, consumptionem illorum nummorum superaccedere, auctore *Ulpiano* l. nam & si fur. 13 ff. de Reb. creditis, & ad stipulantibus *Papiniani* verbis in l. si es cui nummos. 94 pr. & § 1 ff. de solutione, & liberat, aut illorum nondum consumptorum usu capionem, arg. l. si alienam 13 in pr. l. qui alienam 33 ff. de mortis causa Donat. Nam, ut graviter monuit *Bachovius* tractatu cit. lib. 5. c. 15 in fin. hi duo casus nihil prouersus simile habent, & sic nullo modo, ab uno ad alterum argumentum deduci potest. Evidem mutuo essentialis est, ut pecunia fiat accipientis; si non fiat, nullus est contractus, ita ut ne quidem fidejussor obligetur l. si quis 56 ff. de fidejussor. & Mandator. ex nullo contractu, nulla descendere potest actio; quæ demum sese exercere potest, quum, consumptione nummorum, Dominium inducente, non magis legum quam hominum vi concutiendum, & mediante fictione quadam retrostativa, contractui forma sua data fuerit. Pignoris vero contractus, eo ipso, quo res in securitatem debiti creditori tradita sunt, esse suum & perfectionem suam obtinet, & tantum abeat, ut satis creditori facto, ei aliquid adhuc vis firmitatisque superinducatur, ut potius, illius vinculi dissolvendi, hic certissimus sit modus.

Non

Non directe, sed breviori tamen analogiae radio, pro ea, quam proponimus, sententia facere videtur l. observare. 4 § fin. ff. de officio Procons. & Legati. in qua non de actione quadam est sermo, sed de Jurisdictione Legato demandata a Proconsule provinciam nondum ingresso; quæ Jurisdictio, et si ex mandato præcedenti oriatur, nonnisi tamen ex eo tempore legato exercenda competit, ex quo Proconsul provinciam ingressus est: quum perquam absurdum sit, antequam ipse Jurisdictionem nanciscatur, (& non nanciscitur antequam in provinciam venerit) alii eam mandare posse, quam non habeat. d. 1. 4 in fine. Sed adducam exemplum actionis ex Emptō; quæ, et si ex contractu descendat solo consensu in omnibus partibus suis perfecto, nisi tamen Emptor pretium obtulerit, & sic ex sua parte contractum impleverit, cum effectu intendi nequit l. Julianus. 13 § 8 ff. de action. Emti, vend. Quum præcipue in fin. dicti §. scribat Jurisconsultus „Venditorem quasi „pignus retinere posse eam rem, quam vendidit., Adducam præterea actionem ex stipulatu pro Dote, quæ et si fundatum habeat in contractu matrimonium præcedente, non datur tamen nisi soluto matrimonio l. 2. pr. ff. soluto matrim. Dos &c. l. matrimonium. 1. Cod. de Repudiis. excepto casu vergentis ad inopiam mariti, in quo aliud sane dicendum esse auctor, nobis est *Ulpianus* hæc fere scribens „Si constante matrimonio propter inopiam mariti mulier agere volet, unde exactio „nem Dotis, initium accipere ponamus? & constat exinde „Dotis exactiōnem competere, ex quo evidentissime apparuerit Mariti facultates ad exactiōnem Dotis non sufficere., & in

in § 1. „Si ex hæredato marito Mulier agat, magis est, ut ex „die aditæ Patris hæreditatis, ei incipiat Dotis exactio“  
 I. si constante 24 pr. & § 1 ff. soluto matr. Dos quem. &c. I. ubi ad.  
 hoc 29 Cod. de Jure Dotium. & ad hanc speciem referendum cen-  
 seo, generalius a Scaevola dictum in I. hæc actio 65 ff. soluto  
 matr. Dos quem &c. „hanc actionem, etiam constante matrimo-  
 nio, Mulieri competere.“ Adducam denique exemplum actionis  
 Tutelæ, quod nobis exhibetur I. si Tutor. 9 § fin. & I. seq. ff.  
 de Tutel. & ration. distr. Et sane hæc actio in quasi contractu,  
 administratione Tutelæ scilicet, fundamentum suum habet § 2  
 Inst. de oblig. quæ quasi ex contr. nasc. quum tamen non nisi si-  
 nita Tutela exerceatur, sicut, præter duas leges jam laudatas  
 testatur Paulus I. nisi finita. 8 pr. ff. de Tutelæ, & ration. distr.  
 Hæc sufficere videntur, ad præsumptionem inducendam saltem  
 debilissimam, pigneratitiam nostram etiam hujus generis esse  
 posse; restat nunc, ut hæc præsumptio declaretur, probeturque.

Et quidem paulo curatius rem inquirenti, mox patebit,  
 eam opinionem firmissimo stare talo, & sic pigneratitiam actionem  
 non nasci, nisi prius satis creditori factum fuerit. Quod enim  
 antea obtinere possit, nullo modo intelligo. Obstat enim  
 impedimentum gravissimum, impedimentum quo majus, ne  
 quidem cogitari possit. Contractus ipse; actio ipsa; mox ex-  
 plicabitur. Nonne hæc contractus natura est, quod creditori  
 res a debitore tradatur *in securitatem debiti?* § ult. Inst. quib.  
 mod. re contr. obl. negari non potest: & si huic securitati a con-  
 trahentibus nullum certum definitum fuerit tempus, annon  
 dicendum, pignus in perpetuam securitatem censeri obligatum?

F

Sane

Sane enim nostrum non est, ex mero arbitrio terminum posse nere, ubi nec lex, nec consuetudo legis auctoritate pollens, nec contrahentium voluntas, posuerit. Actio autem pignorativa datur ad evertendam securitatem creditori in re oppignerata constitutam, ad recuperandam rem pignori obligatam; illa intendimus rem vinculo, quo tenebatur, liberatam esse modo quocumque; 1. intelligere. 2. Cod. de luitione pignoris 1. item liberatur 6 pr. ff. quib. mod. pign. vel hyp. &c. Si igitur ponas, actionem ex contractu, ante vinculum ex contractu solutum exerceri posse, ponis securitatem creditori constitutam, ipso contractu quo constituta fuerat in irritum deduci; ponis Saturnum prolem suam devorantem, & simul (proh prodigium!) ab illa devoratum; ponis contractum, contractui obstantem; ejus effectum ab alio effectu impeditum; ponis contraria; impossibilia; nihil.

Nunc; si in legibus nostris fulcrum etiam querere velimus, id quidem, ut opinor, sat firmum erit ut nos ab omnibus lapsu tueatur. Audi præprimis jura dantem *Ulpianum* 1. si rem alienam. o § 3. ff. de pigner. act. „*omnis exsoluta esse debet pecunia, aut eo nomine satisfactum, ut nascatur pignorativa actio*“ *Omnis pecunia*, ait: circa quam scilicet vertitur obligatio principalis; & igitur partem tantum solvendo, quoad repetitionem pignoris, pignorativam scilicet inducendam, defungi non poterit debitor; pignoris enim causa individua est, id est, quandiu superest pars debiti, tenet pignus, sicut tamdiu est debitum, & causa pignoris; Unde si creditori plures haec-

hæredes extiterint, & uni ex his pars ejus solvatur, ait idem *Ulpianus* 1. solutum, i<sup>r</sup> § 4 ff. de pign. act. non debere cæteros hæredes creditoris injuria affici, sed posse totum fundum vendere, oblato debitori eo, quod cohæredi eorum solvit; manifesti enim indubitateque juris esse, defuncto creditore multis relictis hæredibus, actionem quidem personalem inter eos ex lege 1<sup>r</sup> Tabul. dividi, pignus vero in solidum unicuique tenendum, rescriperunt Impp. 1. manifesti 1. l. seq. 2 Cod. si unus ex pluribus hæred. Cred. &c. Idem & de Usuris dicendum 1), si & in usuras obstrictum sit pignus, ejusque permittetur retentio, donec usurarum solutio impleta fuerit; parum vero referente, utrum eæ in stipulatum fuerint deductæ, an vero pacto nudo tantum promissæ, dummodo pignus & in eas obligatum fuerit 1. solutum. 11 § 3. ff. de pign. act. pro quibus etiam disertissime facit 1. per retentionem. 4 Cod. de Usuris in qua Imperatores *Severus* & *Antoninus* Honorio rescriperunt „per retentionem pignoris usuras servari posse, de quibus præstandis convenit, licet stipulatio interposita non sit, merito constitutum est; & rationem habet, quum pignora conventione parti etiam obstricta sint” & deinde „sed enim in causa, de qua agis, hæc ratio cessat; siquidem tempore contractus de minoribus usuris petendum convenit; postea autem,

1) Parum enim consentaneum foret, in solvenda pecunia usurarum rationem non haberi, quum earum primo loco fiat computatio, casu quo creditor distractis jure pignoribus, sibi de pecunia exinde redacta prospecturus est, & deinde demum id, quod supererit, accepto ferendum sit. Quæ est species 1. cum & sortis. 35. ff. de pigner. act.

„tem, quum se debitor maiores præstaturum repromisit, non  
„potest videri rata pignoris retentio: quando eo tempore quo  
„instrumenta emittebantur, non convenit ut pignus etiam ad  
„hanc adjectionem teneatur” Adde l. pignoribus 22 Cod. eodem.  
Noodt. Comm. ad Pand. Tit. de pigner. actione. Si tamen usuræ  
legitimum excedant modum, hæ nullo casu pigneratitiam  
impedire poterunt d. l. solutum. II § 3.

Ait Ulpianus, omnem pecuniam exsolutam esse debere, aut  
eo nomine satisfactum. Quid haec sibi velint, nunc late discu-  
tiendum.

Exsolutionis verbo, sane hic intelligit Jurisconsultus<sup>us</sup> so-  
lutionem vere tales, quæ fit per numerationem pecuniae  
actualem; alios deinde satisfactionis modos recensiturus. d. l.  
9. §. 3. 4. 5. d. l. II. §. 1. 2. & de hac solutione tenendum est,  
nihil interesse an ab ipso debitore facta sit, an vero Procura-  
tore ejus, aut negotiorum gestore, aut alio tertio quodam,  
pro debitore licet ignorantie, ut diserte tradidit *Marcianus*  
l. si pro me. 40. ff. de solution. & liberat. & evincit certissima  
juris nostri regula, licere ignorantis etiam & inviti meliorem  
conditionem facere l. solutione. 23. ff. eodem. l. solvendo. 39. ff.  
de negotiis gest. Notandum est præterea JCTum in d. §. 3. leg.  
9. ff. de pigner. act. nonnisi intellexisse solutionem justam & le-  
gitimam, quæ sola solutio est, sicque opportunissime ab eo-  
dem infra relatum fuisse casum l. eleganter 24. §. 1. ff. de pi-  
gner. actione. Reprobos nummos solverat quis creditor, & quæ-  
rebatur, an haberet pigneratitiam actionem, quasi soluta pe-  
cunia? & respondet *Ulpianus*, miniime; constare enim neque  
pi.

pigneratitia agere, neque eum liberari posse; cuius decisionis hanc rationem profert, quod reproba pecunia, non liberet debitorem, reprobis, videlicet, nummis reddendis. De ampliationibus autem & limitationibus, hujus legis dispositioni factis, a Bartolo, Paulo de Castrensi, & Glossa, videsis jam fere sexcenties memoratos: *Bachovium tractatu cit. lib. 5. c. 15. n. 4.*  
*Negusantiumque* eodem. parte. 7. membr. 2. n. 18.

Solutionem proprie sic dictam exceptit ea, quae quoad pigneratiam actionum, æquali cum illa vi pollens, diverso tamen & improppio quasi conficitur modo, de ea breviter *Ulpianus*: „satisfactum autem nos accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum;” & paulo post „& generaliter dicendum erit, quoties recedere voluit creditor a pignore, videri ei satisfactum; si ipse voluit, sibi cavit, licet in hoc sit deceptus” d. 1. q. d. §. 3. qui duo satisfactionis modi, non tamen sine discrimine invicem conferuntur; etenim verba faciente eodem *Ulpiano* l. item liberatur 6. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hyp. qui solvere paratus est, merito pignus liberasse videatur; qui vero non solvere, sed alia ratione satisfacere cupit, ex. gr. expromissore dato, in diversa prorsus causa est; ergo satis fecisse prodest. l. quod si non solvere, 10. ff. de pign. act. sibi enim imputare debet creditor, qui satisfactionem admissit vice solutionis; quum e contrario ille nequaquam culpandus sit, qui, non admissa satisfactione, solutionem desiderat.

Modorum autem, quibus haec improppria solutio exerceri potest, infinitus fere est numerus, e quibus tamen præcipios

recensere juvabit. Sic, si aliis pignoribus sibi cavere voluerit creditor, agere poterit, ut a primo recedat d. l. 9. §. 3. & hoc perhelle refertur, elegans ab *Africano* relata species in l. quæ fundum 50. §. 1. ff. de jure dotium. Ubi Jurisconsultus ; „si cum fundum Cornelianum pignoris causa tibi tradidisse, postea ex conventione, Titianum fundum ad hoc tradiderim, ut Cornelianum mihi restitueres, minime dubitandum esse, quin statim recte pigneratitia agere possim, ad repetendum fundum Cornelianum.” Idem erit, si non secundis pignoribus, verum fidejussoribus datis, primum sublatum fuerit pignus ; sicut evincit species in locatore prædii rustici, qui quum loco invectorum, importatorumque pro mercede pignori obligatorum, mercedis nomine fidejussorem a colono accepisset, exinde illata pignori esse desierunt l. cum Colono, pen. ff. quib. mod. pign. vel hyp. &c. Nec aliud judicium ferendum, si reo dato, vel pretio aliquo accepto, vel nuda conventione facta, quæ remissionem pignoris, vel immediate, vel mediante debiti principalis remissione, inducat, l. solvit. 5. ff. quib. mod. pign. vel hyp. &c. sibi caveri voluerit creditor, sicut diserte exprimitur d. l. 9. §. 3. Adhuc in eadem lege reperimus, eum, qui ante solutionem egit pigneratitia, licet non recte egerit, tamen si offerat in judicio pecuniam, debere rem pigneratam, & quod sua interest, persequi (quo in casu, necesse non erit, pecuniam deponere, sed saltē in oblatione perseverare. arg. l. qui Romæ 122. §. pen. ff. de verbor. obligationib.) Idem erit, si extra judicium debitor pecuniam realiter obtulerit, eamque deposuerit & consignaverit, debitor vero noluerit recipere, uti te.

testantur 1. si reddita. 3. Cod. de lutione pign. 1. acceptam 19. Cod. de usur. Depositionem enim & ob-signationem istam, solutionis instar esse, evincunt 1. Ob-signatione. 9. Cod. de solut. & liber. 1. Tutor, condemnatus. 41. §. 1. ff. de usuris & fructib.

Illis modis præterea recte accensetur acceptatio debiti 1. solvitur 5. p. ff. quib. mod. pign. &c. illius enim effectus, idem est, qui & solutionis, quum exemplo solutionis liberare soleat 1. in Diem. 5. ff. de acceptatione. ideoque cum principali obligatione, etiam accessoriæ tollentur, veluti fidejussorum, pignorum. Imo & ex 1. 4. per Jusjurandum. 13. §. 7. ff. eodem, colligere licet, si quum forte, utroque cautionum genere, sibi creditor prospexit, deinde fidejussori accepto tulerit, & reum exinde liberatum iri principalem, & pigneratitiam actionem, ad repetendum pignus, locum sibi vindicaturam fore. Similis est causa novationis, qua prior tollitur obligatio, & cum privilegiis priori obligationi adhærentibus 1. aliam causam 29. ff. de Novat. tolluntur etiam reliquæ accessiones, & ergo pignora, nisi secundæ obligationi repetita sint, 1. solutam 11. §. 1. ff. de pign. act. 1. Novatione, 18. ff. de Novationibus. 1. unic. Cod. etiam ob Chir. pecun. &c. Eadem jurisjurandi erit auctoritas, si scilicet debitor juraverit, se non debere; quum ut ait *Gajus* 1. 27. ff. de jurejurando five &c. etiam loco solutionis cedat, & apposite ad speciem nostram a *Juliano* scriptum inveniam. 1. Jusjurandum. 40. ff. eodem; Jusjurandum a debitore exactum efficere, ut pignus liberetur, & in hoc acceptilationi esse simile; quod confirmat etiam *Tryphoninus* 1. si deferente. 13. ff. quib. mod.

mod. pign. v. hypoth. Eadem & sententiae Judicis, et si per injuriam debitor absolutus fuerit, auctoritate d. l. 13. Licet enim alias, verus debitor per imprudentiam judicis absolutus, naturaliter obligatus remaneat; & ex quibus causis, naturalis obligatio consistit, pignus perseverare dicatur in l. quæsitum est 11. §. 1. ff. de pignor. & hyp. hic tamen effectus ob auctoritatem rei judicatae, quoad pignus, per specialem legis dispositionem, impeditus reperitur d.l. 13. ff. quib. mod. pign. vel hyp. &c. Postremo demum loco, adducam satisfactionem eam, quæ compensatione sit; compensatio enim, quum confiterit pecuniam invicem deberi, ipso jure pro soluto habenda est, ex eo tempore, ex quo ab utroque debetur l. si constat. 4. Cod. de compensat. l. si Debitor. 4. ff. qui potior. in pign. & quod illa, etiam pignora liberentur, satis mihi declaratum videtur l. invicem. 12. Cod. de Compensat. ubi *Diocletianus & Maximianus*, „Invicem debiti compensatione habita, si quid amplius debitas, solvens, vel accipere creditore nolente, offerens, & consignatum deponens, de pignoribus agere poteris.” Species compensationis est, quæ fructuum & pensionum fit perceptio ne; hi fructus enim nequaquam lucro creditoris cedunt (nisi contracta *avtixenst*), sed in debitum imputantur; qui si sufficiant ad totum debitum, solvitur actio & redditur pignus; qui si debitum excedant, quoad superfluum redduntur, mota actione pigneratitia; si vero adhuc pauciores sunt, quod perceptum erit, debiti quantitatem minuit, ut est in l. ex pignore 1. l. seqq. 2. Cod. de pigneratitia act.

Quæ

Quæ autem de fructibus valent, eadem de omni lucro occasione pignoris percepto, obtinere dicendum est, & sic nobis licet afferere, etiam in casibus l. si pignore 22. & §. 1. ff. de pignor. act. & l. creditoris 15. pr. ff. de furtis. jam supra a nobis expositis, compensationem de pecunia ex pœnaliibus actionibus redacta, recte fieri, & sic pignorum jus resolvi. Disquisitæ fuerunt nobilissimæ species; nunc ut ad eam revertamur metam, a qua exiveramus, iterum cum *Ulpiano* dicendum est. „*Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum*” l. 9. §. 3. ff. de pignoratitia actione.

Ait *Ulpianus*, *omnis exsoluta esse debet pecunia, aut eo nomine satisfactum, ut nascatur pignoratitia actio.*

Quid hoc verbo *nascatur* sibi voluerit Ictus, & declaravit ipse, & declaraverunt alii multis in legibus, quarum nonnullas referre juvabit. Declaravit ipse in d. l. 9. §. 5. ff. de pign. act. ubi ille, qui ante solutionem agit pignoratitia, non recte agere dicitur; in l. eleganter. 24. §. 1. ff. eodem, ubi ait, illum qui reprobos nummos solvit, neque pignoratitia agere, neque liberari posse. Declaraverunt alii. Scævola in l. locum purum. 43. pr. ff. eodem, debitori facultatem agendi concedens, soluta demum pecunia. *Marcianus* l. 23. ff. eodem. his verbis. „*Si pecuniam debtor solverit, potest pignoratitia actione uti*” *Papinianus* l. Debitor 40 §. 2. ff. eodem, quum tradit, creditorem soluta pecunia, possessionem pignoris, quæ corporalis apud eum fuit, restituere debere. De-

G

cla-

claraverunt tandem Impp. *Diocletianus* & *Maximianus* in  
l. pignoris 11. Cod. depignor. act. dicentes „pigneratitiæ actionis na-  
turam declarare, pignoris causa res obligatas, soluto debito  
„restitui debere.” Hæc omnia mire concordant. Actionem na-  
tam intelligit igitur *Ulpianus*, quæ non tantum concepta,  
sed etiam nata, & revera actio est; cui contractus, ex quo  
suam originem trahit, non obstat, sed quam & sovet, & pa-  
rit; quæ datur ad repetendas ex contractu, res ex contra-  
ctu obligatas; cui exceptio & igitur prescriptio opponitur;  
quæ revera in judicium deducta, nihil aliud est, quam jus  
non in futurum, sed in præsenti mihi competens, persequen-  
di in judicio, quod mihi debetur pr. Inf. de actionibus. Et sic  
opinor, me argumentis ex natura ipsius contractus, & mi-  
rabilis legum concordia deductis, satis probavisse, non nasci  
pigneratitiam debitori, nisi soluta pecunia fuerit, aut alio  
modo creditori satisfactum; sive debitor ipse solverit, seu aliis  
pro eo. l. si pro me quis 40. ff. de solut. & liber. Nunc ut no-  
va lux accedat, videamus, quæ in contrarium disputata  
fuerint.

Sed quocumque obvertam oculos, nullum animadverto,  
quem, aliam secutum fuisse opinionem, dicere possim. Om-  
nes consentiunt, quamvis consensus ignari, quam omnes  
concedant, actionem pigneratitiam ex contractu descendere,  
sed tamen non nisi, soluta pecunia, intendi. Et tremula vo-  
ce fateor, me eo perduci, ut autem, quoad nativitatem  
hujus actionis, Jurisconsultos verbis disjunctos, re tamen  
con-

conjunctionissimos fuisse; iisque tamen in mentem venisse, se, de rebus, minimo vero de verbis, contendere. *Negusantius* cum *Glossa* ait, tempore tantum satisfactionis, pigneratitiam actionem nasci, sed ex materia antiquâ contractus; quam opinionem supra exposui. *Bachovius* in *Negusantium* invehitur & tamen ipse fatetur, pigneratitiam actionem ex contractu descendere, sed tamen nonnisi solutione facta exerceri posse, quam & opinionem ego supra exposui. Post *Negusantium* & *Bachovium*, in duas partes ierunt Jurisconsulti, sed non in plus quam in duas, ire potuerunt. Verbum *nascitur* igitur, teterrima belli occasio fuit; quum ab agmine uno, alterove, vario assumeretur modo. Fateor me existimasse, illud perfectionis &, ut ita dicam, plenitudinis symbolum esse, actionemque dici natam, quæ revera actio esset. Fateor me existimasse, actionem non aliud quid esse, quam, quæ omnibus juris nostri textibus declaratur, *jus agendi persequendique*; fateor denique, me in specie proposita, minime *jus agendi illic invenisse*, ubi, quo minus ageretur, obstaret ipse contractus; minime *jus persequendi*, ubi, quo minus debitum esset, obstaret ipse contractus.

His disputatis, nulla supersunt, quæ nobis amplius negotium facilius possint. Probavimus, pigneratitiam actionem, eo demum tempore nasci, quo creditori satisfactionum fuerit, antea vero nullam dari, id est, nullam esse pigneratitiam. Ex eo satis elucet, & quo tempore incipiat, & incipere possit illius præscriptio. Hæc enim, quum tantum exceptio-

G 2 nis

nis ope actionem tollat, actionem præsupponit, quæ in judicio intendi possit; at demum soluta pecunia, in judicio intendi potest pigneratitia nostra, sicut textus supra laudati ostendunt. Imo præscriptio, quum actionem perimat, actionem tamquam subjectum vis suæ peremptoriæ præsupponit, natam, id est existentia donatam, & revera actionem; actioni non natæ enim nequaquam præscribi potest, quum non entis nullæ sint qualitates, interitusque sine vita, uti non usus sine usu, nequaquam intelligatur. At ante satisfactionem, pigneratitia nulla est actio; nam que tunc a multis Doctoribus assumitur, jus aliud est prorsus diversum, sicut Coronidis loco breviter tradetur. Concludamus igitur dicentes, pigneratiam actionem; quæ scilicet ex contractu pignoris descendens, oppigneranti, ejusque hæredibus, adversus creditorem ejusque hæredes, ad pignus, soluto debiti vinculo, restituendum, & regulariter damna, dolo, aut levavi culpa data, resarcienda competit, a tempore demum satisfactionis præscriptioni subici; nonnisi ab hoc tempore, elapsis triginta annis, in irritum constitui; secundum sanctiōnem generalem Theodosianam, l. un. Cod. Theodos. de action. certo. temp. fin. l. 3. Cod. de præscr. 30. v. 40. ann. cui, quoad pigneratiam nostram, minime obstat l. nec creditores. 10. Cod. de pignor. act. ubi *Diocletianus & Maximianus.* „Nec creditores, nec qui his successerunt, adversus debitores pignori quondam res nexas petentes, reddita jure debiti quantitate, vel his non accipientibus, oblata, & consignata, & deposita, longi temporis præscriptione muniri possunt“ uti nec simi-

simile argumentum 1. quo minus fructum, ult. Cod. eodem. Imperatores enim, fateor negare pigneratitiam actionem longo tempore tolli, id est, spatio decem aut viginti annorum; quem vero, de tempore longissimo, quod iis prorsus erat ignorantum, nullum emitant verbum.

Operæ nunc pretium esset, singulorum Interpretum vestigia legere, omniumque decisiones, ad unam revocare decisionem. At tali Labyrintho expediendo, deficiunt vires, tempus, animus, & vetat jam in nimiam molem accrescens disputatio. Unum est, quod adhuc annotare juvat, quodque inquirenti, fili Ariadnei loco esse poterit. Nimirum, a plurimis animadverto, jus luendi pignoris, & jus pigneratiae actionis instituendæ, confundi, ac pro iisdem accipi, dum interim ista duo a se invicem longe distent; luere pignus quid sit, exhibet nobis 1. si redditia. 3. Cod. de luitione pignoris nimirum, rem pignori obligatam liberare a vinculo illo, sive debitum solvendo, sive alio modo satisfaciendo, ut res libera penes Dominum esse queat, aut in aliud sine onere transferri atque transire, §. sed & si Rem 5. Inst. de legatis. Huic errori consentaneum erat, ut falso affererent, jus reluendi pignoris ex contractu esse; quem tamen natura cuivis pateat, etiamsi nullo ex contractu obligatus sit. Luitio pignoris enim, quæ etiam reluitio & repigneratio dicitur, fit per solutionem; solutio autem, atque adeo quoque luitio pignoris, non modo per debitorem, sed & per alium, debitore jubente, vel ignorante, vel invito, fieri potest. præc. Inst. quib. mod. tollitur

obl. Tertius denique ex istis erroribus exstitit error. Scripsérunt, jus istud luendi pignoris, quod adhuc pigneratitiam actionem nuncupaverunt, præscribi triginta annis, a tempore contractus computandis, allegaruntque generalem dispositionem legis 3. Cod. de præscr. 30. v. 40. annar. quæ omnia omnino vult jura longissimo tempore perimi; nihilque, ut hæc præscriptio locum habeat, requirit, nisi negligentiam ejus, cui jus exercendum competebat, per spatiū temporis legitimū continuatam.

At vero illud jus reliundi pignoris, natura sua prorsus impræscriptibile est; quum non tam sit jus, quam facultas; non sit jus, ut jus persequendi in judicio quod sibi debetur, quod dicitur *actio*; sed facultas sit, posita in arbitrio debitoris, & conscientia bona, qua, quo minus utatur, quan- documque volet, nulla ratione impediri potest. Uno verbo, quum sit *aetus meræ facultatis* ad cuius exercitium scilicet qualecumque, voluntas agentis unice requiritur, & in quo, nullus igitur ne quidem singi possit terminus, a quo demum præscriptio currere incipiat. Præterea nequaquam intelligo, quæ negligentia debitori objici possit, qui, quamdiu debitum a se & a debitore ut legitimū agnoscitur, & creditor solutionem non urget, pignus non reluit. Nullibi enim in legibus traditum invenimus, nec ex natura pigneratitii contractus fluit, rem oppigneratam, intra quoddam determinatum tempus, liberari debere.

Si

Si quis adhuc sit, cui his rationibus nondum satisfactum fuerit, ab eo edoceri velim, quid utilitatis, jurisve creditor, ex hac præscriptione consecuturus sit; cum præscriptio nulla sit, ex qua non commodum aliquod præscribenti accedat. Aut id erit, quod simpliciter res liberata fuerit, aut quia insuper Dominium directum vel utile rei pignoratæ in credorem translatum fuit. Si primum, obsuit sibi magis creditor sua præscriptione quam profuit. Extinctum fuit enim ius illud, ex quo solum rei oppigneratæ retentio ei competit; quo sit ut iniquus in posterum detentor existens, actionibus ex jure Domini profluentibus efficaciter conveniri possit. Si rem pigneratam hac præscriptione jure Domini creditori acquisitam fuisse prætendis, non jam de præscriptio ne extinctiva amplius, sed de acquisitiva quæstio agitur. Quemadmodum autem, ista rei ipsius præscriptio acquisitiva locum habere possit, non video. in d. l. 13. pr. ff. de usurpat. & usuc. ait *Ulpianus* „pignori rem acceptam usu non capiunus, quia „pro alieno possidemus“ scilicet, creditor non possidet *civiliter*; præterea non possidet bona fide, quæ tamen jure canonico requiritur; denique possidet sine justo titulo.

PRÆNOBILISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. P.

P R A E S E S.

*Pauca sunt, quæ Dissertationi Tuæ, proprio Marte abs Te  
conscriptæ, adjicienda duco. Nullum proœdo in ea elaboranda  
laudem mihi vindicare possum, qui Author sua sorque tantum.  
Tibi fui, ut doctrinam de pignoratitiae actionis prescriptione.  
difficilem tantisque meliorum Interpretum dissensionibus claram,  
ex principiis Romanæ jurisprudentiæ exponendam Tibi sumeres  
Et, quod augurabar, felici eventu ita quidem præstisisti, ut Or-  
dini nostro simul luculentum progressum Tuorum in legitima  
scientia documentum obtuleris.*

*Instat nunc reditus Tuus in patriam. I pede fausto. Frue-  
re nunc in gremio splendidissimæ familie dulcissimis amicitiæ  
voluptatibus. Sis diu solatum atque deliciæ Venerandi Paren-  
tis, qui propter integritatem vitæ atque præclaram eruditionem  
ab omnibus bonis colitur atque suspicitur. Justa meritorum  
præmia aliquando Tibi parabit patria. Ne tamen inter gau-  
dia, quæ Te expellant, atque in strepitu forensi, cui Te immis-  
tis, unquam mei immemor sis, pro amicitia, quam mihi propo-  
nistis, vehementer abs Te flagito.*

Die XXIV. Augusti a. e. MDCCXCVI.











DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE  
PRÆSCRIPTIONE  
ACTIONIS PIGNERATITIÆ

QUAM

CONSENTIENTE ILLUSTRI JCTORUM ORDINE

PRÆSIDE

VIRO ILLUSTRI ET CONSULTISSIMO  
DOMINO

CHRISTIANO GMELIN

PHIL. ET U. J. AC PROF. PUBL. ORDIN.  
ERENISS. DUCIS CONSIL. NEC NON SER. MARGGRAY.  
BRANDENB. AB AULÆ CONS.

PRO GRADU DOCTORIS RITE OBTINENDO

EXAMINI PUBLICO SUBJICIT

AUCTOR

O.H. MARCUS SAM. ISAAC MOUSSON

HELVETO - MORGiensis.

TUBINGÆ  
DIE AUG. MDCCCLXXXVI.

TYPIS FUESIANIS.

617

1796, 2.

11